EXERCITATIONES THEATRALES

A

SOCIETATIS JESU

MAGISTRIS INFERIORUM

CLASSIUM

DIRIGENTE

P. ANTONIO CLAUS,

EJUSDEM SOCIETATIS,

IN

EPISCOPALI ET ACADEMICO

GYMNASIO

DILINGANO

EXHIBITÆ.

CUM FACULTATE SUPERIORUM, ET PRIVILEGIO CÆSAREO.

AUGUSTÆ VINDELICORUM ET OENIPONTI,

Sumptibus Joſephi Wolff, Bibliopolæ, 1755.

Digitized by Google

Digitized by Google

Facultas R. P. Provincialis cum Privilegio Cæſareo.

Cùm D. Joſephus Wolff Bibliopola Auguſtanus typis edere deſideret Exercitationes Theatrales à Magiſtris inferiorum Claſſium Societatis noſtræ dirigente P. Antonio Claus ejusdem Societatis compoſitas, & Dilingæ potiſſimum exhibitas. Ego Adamus Dichel ejusdem Societatis JESU per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta ab A. R. P. Noſtro Ignatio Vicecomite univerſæ Societatis Præpoſito Generali, eidem ad primam duntaxat hanc editionem facultatem impertio, ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quo aliis Bibliopolis, atque Typographis &c. prohibetur, ne dictas Exercitationes citra Superiorum conſenſum recudere, aut intra fines S. R. I. inferre præſumant. In cujus rei fidem has ei manu propria ſubſcriptas, & conſueto Officii mei Sigillo munitas dedi. Straubingæ 6. Novembris 1754.

(L.S.)

Adamus Dichel.

)(2

Benevole Lector.

LIbellus, quem tibi hìc offero, undecim continet Dramatia, quibus de Provincia noſtrâ Germaniæ Superioris juniores aliqui Choragi, inferiorum Claſſium Magiſtri, ſuos ſcholares in Academico præcipuè Gymnaſio Dilingano exercuere, atque gravioribus proluſere ea felicitate, ac gratia, ut neminem ſciam ſpectantium, qui iisdem non adfuerit multa cum voluptate, plurimùm recreatus non diſceſſerit, atque abſens etiam illa magnopere non dilaudaverit, probaverítpue. Nec mirum, cùm enim, ùt videbis, ſelecta fuerint argumenta, & puerorum geniis, atque ingeniis perquam accommoda, & ad eos in Theatris, utiliter, ac jucundè edocendos opportuna, cúmque inſuper non modica acceſſerit componentium induſtria, eápue Patris Antonii Claus Viri ê

noſtra

noſtra Societate de amænioribus literis, & præſertim de pluribus noſtræ Provinciæ Theatris præclarè meriti, Choragi etiam apud exteros percelebris, & tandem comicis laboribus immortui directa, atque adjuta, cum denique etiam apta ſcenæ ſtructura, agentium feſtiva vivacitas, &, qui cuilibet perſonæ proprius erat, characteris viva expreſſio non leve attulerint momentum, fieri plane aliter non potuit, quàm ut quæſitum, optatúmque conſequerentur effectum.

Stylo uſi ſunt plano, quin & humili, ſed tum fabulæ, tum actorum indoli accommodo, probè gnari, puerorum haud eſſe, ut agant grandia, loquantur ſublimia. Tu hanc illorum operam, primósque conatus boni conſule, & vale.

Syllabus Dramatum.

1. *Martius Pueritiæ Dilinganæ animus*
2. *Vulpanſer.*
3. *Locuſtæ.*
4. *Paſſeres.*
5. *Date & Dabitur.*
6. *Contemptus ſtudiorum correctus.*
7. *Sutrina pigrorum Schola.*
8. *Gymnaſiſta Noctambulo.*
9. *Nemo.*
10. *Avaritia punita.*
11. *Pœna neglectæ educationis.*

EXER-

EXERCITATIONES THEATRALES.

TOMULUS I.

Digitized by Google

Digitized by Google

MARTIUS
PUERITIÆ DILINGANÆ
ANIMUS
DILINGÆ A RUDIMENTISTIS EXHIBITUS.

Argumentum.

Narrat Brunnerus in Annalibus Boicis ad Annum Domini M. CC. XII. viginti millia puerorum per totam germaniam confluxiſſe in Palæſtinam tendentes, ad ſacrum Domini ſepulchrum è Barbarorum manibus eripiendum. In qua expeditione cùm nullis ab ea dimoveri potuerint artibus, omnes miſerè perierunt. Ex hoc puerili Exercitu nos ſemi centuriam tantùm producimus è Dilingæ vicinia collectam, reliquis tamen feliciorem, quia ſimpliciorem.

Scena ponitur in Sylvula prope Dilingam.

Perſonæ.

Zoſmulus Anachoretæ Servulus.
Mopſulus Puer Ruſticus.
Menalcas Ruſticus.
Agmen Puerorum Dilinganorum.
Agmen Puerorum Lavinganorum.
Agmen Puerorum Höchſtadienſium.

Digitized by Google

Pars Prima.

Theatrum exhibet Sylvam, in ea tres Colles. Medius repræſentat montem Calvariæ; alius à dextris montem Oliveti; alius ſepulchrum ſacrum.

Scena Prima.

Mopſulus portans Corbem, & pulſans Eremitorii januam.

Zosmulus ſemiſopitus & oculos tergens ex Eremitorio exit.

Zosm. Quis crudus adeò concutit ſacras
 fores?

Mops. Dormisne media luce? *Zos.* Quid? ego dormiam?

Orationi totus imerſus fui.

Abrumpis importunus extaſin ſacram,

Qua raptus usque ad tertium cœlum, ſine

Corpore tamen; quam mira vidi! *Mops.* in ſomnio

Tibi mira credo viſa. *Zos.* quid verò cupis?

Mops. Sanctus tuus Magiſter an modo domi eſt?

Zosm. Non eſt. recedito, vel exſpecta. quid hac in Corbe geſtas? forte nobis quidpiam?

Mops. Hæc ova Mater mittit eleemoſynam.

Zosm. Quàm Mopſule opportunus huc venis! meo

Nomine Parenti mille gratias age,
Et cede corbem. *Mops.* Non tibi, at Sanſcto Viro
Hæc ferre Mater juſſit. *Zoſm.* Eſt omnino Idem.
Diſcipulus ego ſum, & Servulus Sancti Viri,
Brevi futurus ipſemet Sanctus. Dabo
Reduci Magiſtro fidus omnia. *Mops.* An brevi
Redibit? aut quonam abiit? *Zoſm.* urbem proximam
Adivit, ut ad bella cives concitet.
Mops. Ad bella cives concitet? Sancto viro
An competunt hæc? *Zoſm.* bella ſuadet, ſed ſacra,
Contra infideles, vindicandumque Domini
Sacrum ſepulchrum. Terra, quam Sanctam vocant,
Petenda. *Mops.* cur petenda tellus extera?
Habemus ante limina ſepulchrum ſacrum
Hoc in loco. *Zoſm.* Sed hoc ſepulchrum, quod vides,
Non eſt ſacrum verè ſepulchrum. *Mops.* Siccine
Mentitus eſt vir Sanctus? hic ſæpius enim
Et me audiente, dixit ad Matrem meam:
Ecce! hoc ſepulchrum Domini. hic eſt mons Golgothæ.
Hic mons olivetanus. *Zoſm.* hoc dixit quidem
Sanctus Magiſter; at volebat dicere;
Hæc eſt Sacri ſepulchri imago Golgothæ

Hæc

Hæc eſt Imago. Nempe de terra Sacra
Redux Magiſter poſuit, & in hac ſylvula
Erexit hæc monumenta. *Mops.* num ergo Golgothæ
Montem & ſepulchrum tranſtulit terra ê ſacra
Vir Sanctus hanc in ſylvulam? quonam modo?

Zosm. Niſi Sanctus eſſem, iraſcerer tibi. Stupor!
Non tranſtulit vir Sanctus ipſum Golgothæ
Montem aut ſepulchrum; ſed typum Montis Sacri,
Imaginemque expreſſit. *Mops.* & cur hoc? *Zosm.* quia
Sperabat his aſpectibus fidelium
Animos movendos. *Mops.* ad quid? *Zoſ.* ad bellum ſacrum,
Quo Barbarorum manibus eripiant ſacra
Monimenta Domini. *Mops.* Nulla bellis eſt Salus.
Pacem Suevi ruſtici & Cives amant.

Zosm. Hoc eſt, quod altos pectore gemitus viro
Sancto exprimit: tam frigidos civium animos
Nulla arte poſſe accendi, ut induant ſacra
In Agarenos arma; tentabit tamen
Novum impetum, ultimumque. jam ſacro ebrius
Ardore ſubiit mœnia. *Mops.* quid ais? ebrius

 Vir

Vir Sanctus eſt? *Zoſm.* ardore, quem dixi, ſacro
Eſt ebriùs. Compellet omni, qua poteſt
Suada potenti civium corda hactenus
Immota. Cras movebit in Terram ſacram
Urbs tota Dilingana cum Sancto Viro.

Mops. Vir Sanctus ergo pariter in Terram Sacram
Abibit? *Zoſm.* utique erit ille dux, ego Comes
Sacri Agminis. *Mops.* quid denique in Terra ſacra
Facietis? *Zoſm.* expellemus inde Barbaros,
Sacri ſepulchri vindices, aut Martyres.

Mops. Domî maneto Zosmule, es parvus nimis
Pro milite, & pro Martyre. *Zos.* haud parvus nimis,
Cui fortis amplo in pectore ebullit cruor.

Intra ſcenam audiuntur tympana & Tibicen.

Zoſm. Quid audio! triumphat eloquentia
Sancti Patris; devicit animos civium.
Non tympana audis Mopſule? imo per Nemus
Vexilla jam propinqua non vides? trahit
Vir nempe ſanctus omnia ad bella. *Mops.* Fugio
Igitur. *Zos.* timere deſine; Sacri milites
Sunt, qui propinquant. nuntia hæc Pago tuo,
Et ruſticos ſors civium exemplum trahet
Ad bella ſacra. *Mops.* dubito valde; ſed tamen

Annun-

Annuntiabo. *abit Mopſ.* *Zoſ.* Ego interim Montis jugum
Conſcendo, Sacrum exercitum inde clarius viſurus, atque hauſturus ardorem novum.

Scena Secunda.

Inter tympanorum ſonitum procedit agmen Puerorum, veſtiti omnes militari habitu, ferunt in manibus bipennes; in pileis gerunt rubras cruces &c.

C*Olonellus*, *Centurio*, *Signifer*, *Subſignifer*, *Decurio*, *reliqui pueri armati.*

Col. Hic ſiſte miles! oſculum terræ imprime.
Quid reſtitas! *Cent.* tamen in ſchola toties humum
Juſſi oſculamur? *Decur.* at modo non amplius
Sumus ſcholares, milites ſumus ſacri.

Col. Et hic locus, quo ſiſtimus, terræ ſacræ
Quam petimus, eſt imago; veneremur igitur
In Imagine Palæſtinam, & oſculo pio
humillimè colamus optatam plagam,
Quam craſtina victrice calcemus pede.

Vexillif. Pio agmini Præimus Exemplò duces,
Primique figimus oſculum Terræ ſacræ.

Decur. Promptus ſequetur miles exemplum ducis.

 Primi

Primi Officiales Bellici oſculantur terram, tum & reliqui.

Col. Jam ſurgite iterum. In ordines Decurio Exercitum omnem redige. *Dec.* quod ductor jubes.

ent. Qùam me vel iſte ſolus aſpectus, licèt ficti ſepulchri recreat, animatque! quid erit

Vera domini monumenta ſi videro prope?

Signif. Ægrè, fatebor, Craſtinam exſpecto diem,

Dum Sacra deleto hoſte vexilla videam
Plantata Solymæ Mænibus manu mea.

Col. Quàm tantus ardor militum & ducum placet!

Pro vindicando denique ſepulchro ſacro
Promptíne cuncti ſanguinem & vitam datis?

Omnes reliqui. Interriti omnes ſanguinem & vitam damus.

Col. Siſtamus ergo Exercitum Sancto viro,
Nos ocyus deducat in Terram ſacram.

Cent. Et en! propinquat Zoſmulus Sancti viri Diſcipulus.

Scena Tertia.

Accedit prioribus Zoſmulus de colle deſcendens.

Col. Age, dic Zoſmule, an modo domi Sanctus tuus Magiſter eſt? *Zos.* Dicite prius:
Quid hic paratis? anne feſta Gregorii

celebra-

celebrare vultis? *Cent.* Ludicra Pueri parent
celebrare feſta, Seria Sacri Milites
Movemus arma. *Signif.* Nonne ſignatos Cruce
Nos conſpicis? Vexilla non vides Sacra?
Col. In Agarenos tendimus. die unica
Mactentur omnes, & erit in noſtra manu
Sacrum ſepulchrum. *Zosm.* Quis animos tantos dedit
Tantos in auſus? *Col.* Quæris? hos animos dedit
Sanctus tuus Magiſter. hic totam undique
percurrit urbem ſæpius, præfervidus
Totóque clamans gutture: *Eja Surgite*
Gens chriſtiana! vindicate denique
E Barbarorum manibus ereptum Sacrum
Domini Sepulchrum; Juro victores fore
vel Martyres. Cent. Duc igitur ad Cellam tui
Sancti Magiſtri exercitum. præeat viam:
Nam ſic ſpopondit anteſignanum fore
Se Chriſtiano militi. *Sign.* Et ſanè duce
hoc indigemus; namque noſtrûm Nemini
nota via, quæ deducit ad Terram ſacram,
Zos. Bene. paululum exſpectate. Mox aderit redux
Ex Urbe, ſecum exercitum totum trahens
vir Sanctus. *Colon.* An nos præter alium Exercitum

collegit ? *Zos.* utique moverit veſtros Patres,
ut arma ſtringant Sacra; quin ipſi hi Patres
vos nonne præmiſère tanquam milites
Levioris armaturæ in aciem ? *Col.* Falleris;
Latet Parentes noſter in terram ſacram
Diſceſſus, illis inſciis exivimus
Ex urbe taciti, perque diverſas vias
Convenimus in hac ſylvula, atque in ordinem
Denique redacti ſtamus. *Zos.* at cur inſciis
Parentibus? *Cent.* Conſilia tam ſacra decuit
Occulere, ne ſe opponeret Parentum amor
In filios. *Signif.* Me Domina Mater neutiquam
Paſſa eſſet â ſe abire, præſertim procul.
Colon. Nec me meus Magiſter. *Decur.* Ego Patrem meum
In Agmine hoc non opto præſentem: quia
Decurio eſſe vellet, in tergum meum
Hoc uteretur fuſte, quam dignius ego
In milites vibrabo ſubditos mihi.

Puer 1mus. Quid tu minari verbera ſacro Militi?

Puer 2dus. Jam vapulavimus ſatis diu in Schola.

Puer 3tius. Ideo reliqui ſtudia militiam Sacram
Secutus, ut verberibus exemptus ſiam.

Puer 4tus. Non patimur ultra verbera. potius domum

Redea-

Redeamus omnes. *Pueri omnes præter officiales*

Non patimur, omnes domum
Potius redimus. *Colon.* Siſtite, oro, Siſtite!
Decurio! cave ſis, quempiam horum militum
Tetigiſſe baculo. *Decur.* Cur igitur illum mihi
Ipſi dediſtis? *Cent.* dedimus in ſignum tuæ
Authoritatis. *Signif.* ſufficit, modò altius
Baculum levatum militi oſtendas. Equus
generoſus umbra regitur, & virgam ſat eſt
monſtraſſe. Cuncti ſponte parebunt duci.

Puer 1mus. Parebimus, ſed ſponte, ſed ſine verbere.

repetunt omnes præter duces.

Colon. Parebitis vos ſponte, ego jubebo nihil,
Quod non probetur ſingulis. *Zos.* ſic optimè
Concordia inter militem & ducem viret.

Cent. Modo nunc adeſſet & cito Sanctus tuus
Magiſter, ut præiret agmini viam.

Zos. Mox aderit agmina civium ſecum trahens.

Vexillif. Non indigemus civibus; Soli pares
Sumus edomandis Barbaris. *Zos.* Næ ſpernite
Hoſtem, monebo; parvuli eſtis. Barbari
omnes gigantes eſſe dicuntur. *Cent.* Nihil
Statura terret; Sæpius parvo à Cane

Ingens

Syllabus Dramatum.

1. *Martius Pueritiæ Dilinganæ animus*
2. *Vulpanſer.*
3. *Locuſtæ.*
4. *Paſſeres.*
5. *Date & Dabitur.*
6. *Contemptus ſtudiorum correctus.*
7. *Sutrina pigrorum Schola.*
8. *Gymnaſiſta Noctambulo.*
9. *Nemo.*
10. *Avaritia punita.*
11. *Pœna neglectæ educationis.*

EXER-

EXERCITATIONES
THEATRALES.
TOMULUS I.

Digitized by Google

MARTIUS
PUERITIÆ DILINGANÆ
ANIMUS
DILINGÆ A RUDIMENTISTIS EXHIBITUS.

Argumentum.

Narrat Brunnerus in Annalibus Boicis ad Annum Domini M. CC. XII. viginti millia puerorum per totam germaniam confluxiſſe in Palæſtinam tendentes, ad ſacrum Domini ſepulchrum è Barbarorum manibus eripiendum. In qua expeditione cùm nullis ab ea dimoveri potuerint artibus, omnes miſerè perierunt. Ex hoc puerili Exercitu nos ſemi centuriam tantùm producimus è Dilingæ vicinia collectam, reliquis tamen feliciorem, quia ſimpliciorem.

Scena ponitur in Sylvula prope Dilingam.

Perſonæ.

Zoſmulus Anachoretæ Servulus.
Mopſulus Puer Ruſticus.
Menalcas Ruſticus.
Agmen Puerorum Dilinganorum.
Agmen Puerorum Lavinganorum.
Agmen Puerorum Höchſtadienſium.

Digitized by Google

Pars Prima.

Theatrum exhibet Sylvam, in ea tres Colles. Medius repræſentat montem Calvariæ; alius à dextris montem Oliveti; alius ſepulchrum ſacrum.

Scena Prima.

Mopſulus portans Corbem, & pulſans Eremitorii januam.

Zosmulus ſemiſopitus & oculos tergens ex Eremitorio exit.

Zosm. Quis crudus adeò concutit ſacras
 fores?
Mops. Dormisne media luce? *Zos.* Quid? ego dormiam?
Orationi totus imerſus fui.
Abrumpis importunus extaſin ſacram,
Qua raptus usque ad tertium cœlum, ſine
Corpore tamen; quam mira vidi! *Mops.* in ſomnio
Tibi mira credo viſa. *Zos.* quid verò cupis?
Mops. Sanctus tuus Magiſter an modo domi eſt?
Zosm. Non eſt. recedito, vel exſpecta; quid hac in Corbe geſtas? forte nobis quidpiam?
Mops. Hæc ova Mater mittit eleemoſynam.
Zosm. Quàm Mopſule opportunus huc venis! meo

Nomine Parenti mille gratias age,
Et cede corbem. *Mops.* Non tibi, at Sancto Viro
Hæc ferre Mater juſſit. *Zosm.* Eſt omninò Idem.
Diſcipulus ego ſum, & Servulus Sancti Viri,
Brevi futurus ipſemet Sanctus. Dabo
Reduci Magiſtro fidus omnia. *Mops.* An brevi
Redibit? aut quonam abiit? *Zosm.* urbem proximam
Adivit, ut ad bella cives concitet.
Mops. Ad bella cives concitet? Sancto viro
An competunt hæc? *Zosm.* bella ſuadet, ſed ſacra,
Contra infideles, vindicandumque Domini
Sacrum ſepulchrum. Terra, quam Sanctam vocant,
Petenda. *Mops.* cur petenda tellus extera?
Habemus ante limina ſepulchrum ſacrum
Hoc in loco. *Zosm.* Sed hoc ſepulchrum, quod vides,
Non eſt ſacrum verè ſepulchrum. *Mops.* Siccine
Mentitus eſt vir Sanctus? hic ſæpius enim
Et me audiente, dixit ad Matrem meam:
Ecce! hoc ſepulchrum Domini. hic eſt mons Golgothæ.
Hic mons olivetanus. *Zosm.* hoc dixit quidem
Sanctus Magiſter; at volebat dicere;
Hæc eſt Sacri ſepulchri imago Golgothæ

Hæe

Hæc eſt Imago. Nempe de terra Sacra
Redux Magiſter poſuit, & in hac ſylvula
Erexit hæc monumenta. *Mops.* num ergo Golgothæ
Montem & ſepulchrum tranſtulit terra ê ſacra
Vir Sanctus hanc in ſylvulam? quonam modo?

Zosm. Niſi Sanctus eſſem, iraſcerer tibi. Stupor!
Non tranſtulit vir Sanctus ipſum Golgothæ
Montem aut ſepulchrum; ſed typum Montis Sacri,
Imaginemque expreſſit. *Mops.* & cur hoc? *Zosm.* quia
Sperabat his aſpectibus fidelium
Animos movendos. *Mops.* ad quid? *Zoſ.* ad bellum ſacrum,
Quo Barbarorum manibus eripiant ſacra
Monimenta Domini. *Mops.* Nulla bellis eſt Salus.
Pacem Suevi ruſtici & Cives amant.

Zosm. Hoc eſt, quod altos pectore gemitus viro
Sancto exprimit: tam frigidos civium animos
Nulla arte poſſe accendi, ut induant ſacra
In Agarenos arma; tentabit tamen
Novum impetum, ultimumque. jam ſacro ebrius
Ardore ſubiit mœnia. *Mops.* quid ais? ebrius

Vir Sanctus eſt? *Zosm.* ardore, quem dixi, ſacro
Eſt ebriùs. Compellet omni, qua poteſt
Suada potenti civium corda hactenus
Immota. Cras movebit in Terram ſacram
Urbs tota Dilingana cum Sancto Viro.

Mops. Vir Sanctus ergo pariter in Terram Sacram
Abibit? *Zosm.* utique erit ille dux, ego Comes
Sacri Agminis. *Mops.* quid denique in Terra ſacra
Facietis? *Zosm.* expellemus inde Barbaros,
Sacri ſepulchri vindices, aut Martyres.

Mops. Domî maneto Zosmule, es parvus nimis
Pro milite, & pro Martyre. *Zos.* haud parvus nimis,
Cui fortis amplo in pectore ebullit cruor.

Intra ſcenam audiuntur tympana & Tibicen.

Zosm. Quid audio! triumphat eloquentia
Sancti Patris; devicit animos civium.
Non tympana audis Mopſule? imo per Nemus
Vexilla jam propinqua non vides? trahit
Vir nempe ſanctus omnia ad bella. *Mops.* Fugio
Igitur. *Zos.* timere deſine, Sacri milites
Sunt, qui propinquant. nuntia hæc Pago tuo,
Et ruſticos ſors civium exemplum trahet
Ad bella ſacra. *Mops.* dubito valde; ſed tamen

Annun-

Annuntiabo. *abit Mopſ.* *Zoſ.* Ego interim
Montis jugum
Conſcendo, Sacrum exercitum inde clarius
viſurus, atque hauſturus ardorem novum.

Scena Secunda.

Inter tympanorum ſonitum procedit agmen Puerorum, veſtiti omnes militari habitu, ferunt in manibus bipennes; in pileis gerunt rubras cruces &c.

COlonellus, Centurio, Signifer, Subſignifer, Decurio, reliqui pueri armati.

Col. Hic ſiſte miles! oſculum terræ imprime.
Quid reſtitas! *Cent.* tamen in ſchola toties humum
Juſſi oſculamur? *Decur.* at modo non amplius
Sumus ſcholares, milites ſumus ſacri.

Col. Et hic locus, quo ſiſtimus, terræ ſacræ
Quam petimus, eſt imago; veneremur igitur
In Imagine Palæſtinam, & oſculo pio
humillimè colamus optatam plagam,
Quam craſtina victrice calcemus pede.

Vexillif. Pio agmini Præimus Exemplò duces,
Primique figimus oſculum Terræ ſacræ.

Decur. Promptus ſequetur miles exemplum ducis.

 Primi

Primi Officiales Bellici oſculantur terram, tum & reliqui.

Col. Jam ſurgite iterum. In ordines Decurio Exercitum omnem redige. *Dec.* quod ductor jubes.

ent. Quàm me vel iſte ſolus aſpectus, licèt ficti ſepulchri recreat, animatque! quid erit

Vera domini monumenta ſi videro prope?

Signif. Ægrè, fatebor, Craſtinam exſpecto diem,

Dum Sacra deleto hoſte vexilla videam
Plantata Solymæ Mænibus manu mea.

Col. Quàm tantus ardor militum & ducum placet!

Pro vindicando denique ſepulchro ſacro
Promptíne cuncti ſanguinem & vitam datis?

Omnes reliqui. Interriti omnes ſanguinem & vitam damus.

Col. Siſtamus ergo Exercitum Sancto viro,
Nos ocyus deducat in Terram ſacram.

Cent. Et en! propinquat Zoſmulus Sancti viri Diſcipulus.

Scena Tertia.

Accedit prioribus Zoſmulus de colle deſcendens.

Col. Age, dic Zoſmule, an modo domi Sanctus tuus Magiſter eſt? *Zos.* Dicite prius:
Quid hic paratis? anne feſta Gregorii
celebra-

celebrare vultis? *Cent.* Ludicra Pueri parent
celebrare feſta, Seria Sacri Milites
Movemus arma. *Signif.* Nonne ſignatos Cruce
Nos conſpicis? Vexilla non vides Sacra?
Col. In Agarenos tendimus. die unica
Mactentur omnes, & erit in noſtra manu
Sacrum ſepulchrum. *Zosm.* Quis animos tantos dedit
Tantos in auſus? *Col.* Quæris? hos animos dedit
Sanctus tuus Magiſter. hic totam undique
percurrit urbem ſæpius, præfervidus
Totóque clamans gutture: *Eja Surgite*
Gens chriſtiana! vindicate denique
E Barbarorum manibus ereptum Sacrum
Domini Sepulchrum; Juro victores fore
vel Martyres. *Cent.* Duc igitur ad Cellam tui
Sancti Magiſtri exercitum. præeat viam:
Nam ſic ſpopondit anteſignanum fore
Se Chriſtiano militi. *Sign.* Et ſanè duce
hoc indigemus; namque noſtrûm Nemini
nota via, quæ deducit ad Terram ſacram.
Zos. Bene. paululum exſpectate. Mox aderit redux
Ex Urbe, ſecum exercitum totum trahens
vir Sanctus. *Colon.* An nos præter alium Exercitum

collegit? *Zos.* utique moverit veſtros Patres,
ut arma ſtringant Sacra; quin ipſi hi Patres
vos nonne præmiſère tanquam milites
Levioris armaturæ in aciem? *Col.* Falleris;
Latet Parentes noſter in terram ſacram
Diſceſſus, illis inſciis exivimus
Ex urbe taciti, perque diverſas vias
Convenimus in hac ſylvula, atque in ordinem
Denique redacti ſtamus. *Zos.* at cur inſciis
Parentibus? *Cent.* Conſilia tam ſacra decuit
Occulere, ne ſe opponeret Parentum amor
In filios. *Signif.* Me Domina Mater neutiquam
Paſſa eſſet â ſe abire, præſertim procul.

Colon. Nec me meus Magiſter. *Decur.* Ego Patrem meum
In Agmine hoc non opto præſentem: quia
Decurio eſſe vellet, in tergum meum
Hoc uteretur fuſte, quam dignius ego
In milites vibrabo ſubditos mihi.

Puer 1mus. Quid tu minari verbera ſacro Militi?

Puer 2dus. Jam vapulavimus ſatis diu in Schola.

Puer 3tius. Ideo reliqui ſtudia militiam Sacram
Secutus, ut verberibus exemptus ſiam.

Puer 4tus. Non patimur ultra verbera. potius domum

Redea-

Redeamus omnes. *Pueri omnes præter officiales*

Non patimur, omnes domum
Potius redimus. C*olon.* Siſtite, oro, Siſtite!
Decurio! cave ſis, quempiam horum militum
Tetigiſſe baculo. *Decur.* Cur igitur illum mihi
Ipſi dediſtis? C*ent.* dedimus in ſignum tuæ
Authoritatis. *Signif.* ſufficit, modò altius
Baculum levatum militi oſtendas. Equus
generoſus umbra regitur, & virgam ſat eſt
monſtraſſe. Cuncti ſponte parebunt duci.

Puer 1mus. Parebimus, ſed ſponte, ſed ſine verbere.

repetunt omnes præter duces.

C*olon.* Parebitis vos ſponte, ego jubebo nihil,
Quod non probetur ſingulis. Z*os.* ſic optimè
Concordia inter militem & ducem viret.

C*ent.* Modo nunc adeſſet & cito Sanctus tuus
Magiſter, ut præiret agmini viam.

Z*os.* Mox aderit agmina civium ſecum trahens.

Vexillif. Non indigemus civibus; Soli pares
Sumus edomandis Barbaris. Z*os.* Næ ſpernite
Hoſtem, monebo; parvuli eſtis. Barbari
omnes gigantes eſſe dicuntur. C*ent.* Nihil
Statura terret; Sæpius parvo à Cane

Ingens

Ingens Aper tenetur. *Subſign.* Etſi Centies
Me major eſſet Barbarus, facilè tamen
Proſternerem. *Zoſ.* Quanam arte? Scalam forſitan
Te centies majorem ad hoſtis grandia
Latera applicares, cujus aſcendens gradus
Caput amputares Barbaro? *Subſign.* Pedes ego
Hoſti amputo: tum truncus in terram ruet,
Et ſic jacenti demeto ferro caput.
Colon. Aſtutus iſte in Barbaros pugnæ modus;
Illum notate milites: primo pedes
Hoſti amputate, ut corruat præceps humi,
Dein facilius demere poteritis caput.
Pueri omnes. Notabimus. *Cent.* Sed ſocia nobis agmina
Quando venient? *Colon.* Exſpecto. In hanc horam & locum
Condiximus. *Zoſ.* quæ ſocia vultis agmina,
Si non Patres, civésque? forſan ruſticos?
Cent. Nihil latino militi cum ruſticis.
Generoſiorem militem ê Scholis ſuis
Höchſtadium & Lavinga ſubmittet hodie.
Zoſ. Höchſtadium & Lavinga? *Colon.* Præmiſſi jam heri
Goglovus & Plunzillus in Patrias ſuas
has civitates agmina adducent duo,
queis forte Gundelfinga junget tertium.
Zoſ. Ergo itineri me accingo. Cum Sancto Patre
Ductore veſtri Exercitûs ibo comes.

Vos

Vos fortiter cum Joſue pugnabitis,
Cum Moyſe ſtans in monte ego orabo piè.
Colon. Joſue imitabor: nempe ſi Craſtina dies ad proterendos Barbaros non ſufficit, jubebo ſolem ſtare: *abit Zosmulus*

Scena Quarta.

Perſonæ quæ prius excepto Zoſmulo.

Tympanotriba. - - Nos etiam ſatis
Diu ſtetimus in ordine. *Colon.* ergo Solvite
Tantiſper ordines, & inter arbores
Curate feſſa corpora. *Decur*, tamen nullius
Eſt vulneratum Corpus; ad quid ergo opus
Curatione? *Colon.* militares terminos
Decurio ignoras? *Decur.* quid ergo eſt corpora
Curare? *Cent.* nempe Corpus & potu & cibo
Reficere. *Decur.* capio terminos; aſt ubi cibus
Potusque? *Puer* 1. me reficiat aſſata hæc caro,
Subducta matri providè ante abitum meum ad arma Sacra. *Puer* 2. vaſculum hoc vino ebrium,
Miraque partum induſtria quàm Martios
Accendit in me ſpiritus? *Puer* 1. de Martio
Liquore partem cede; cedam de mea
Tibi viciſſim carne, *Decur.* ſed veſter quoque

Dec-

Decurio utique particeps erit? Secus: *minatur baculo*

Puer 3. Quin particeps Exercitus totus ſiat;
Sacris enim militibus omnia addecet
Communia eſſe. *Puer 4.* Dividantur omnibus,
Quæcunque reperientur in caſtris Sacris.

Omnes reliqui. Ita. Dividantur omnibus.
Colon. quieſcitce
Et paucula hæc relinquite Dominis ſuis,
Ductor ego providere militi meo
Debeo; Crepille! Sarcinam, quam tradidi
tibi ferendam, prome. *Crepill.* quod jubes, vides.

Crepillus affert ſarcinam, quam luſtrat Colonellus.

Dux Magne! *Colon.* video Sarcinam, ſed quæ Sarcinæ
incluſa fuerant, non video: nam ubi Indicus
Eſt ille gallus, quem tu heri convivio
Superſtitem ſubduxeras, & Sarcinæ
incluſeras? quónam avolavit? *Crepill.* Indicus
hic gallus, ubi relatus ê menſa Patris
Eſt in culinam, prô Dii! aliis omnibus
jam deſtitutus, corpore & toto lacer
Iter ingredi non potuit in terram ſacram.

Colon. ergo Domi relictus eſt â te? *Crepil.* neque
Colon. quid ergo? *Crepill.* fateor Candide; viſus mihi

Chri-

Chriſtatus ille gallus eſſe Barbarus
Et Agarenus; unde correptus ſacro
furore in hoſtem chriſtiani Nominis
totum feroci dente diſcerpſi. *Colon.* Bene!
Et hæc lagena Maſſico ad ſummum ebria
vix ſemiplena? *Crepill.* Dixeras hanc Barbaro
plenam cruore. Credidi; & miles ſacer
Sitiens Cruoris Barbari hauſi; ſic tamen
ut ſat ſuperſit, quo ſitim pariter leves.

Colon. Decurio! *Decur.* Quid? *Colon.* quinquaginta verbera
In terga pueri. *Crep.* In terga militis Sacri!
Comilitones! invoco veſtram fidem.
Servate Privilegia Sacri militis,

Pueri omnes exceptis ducibus - - -
Non patimur, abſint verbera ê caſtris ſacris,

Col. Si pariter abſint crimina â caſtris ſacris.

Cent. Fur eſt Crepillus; læſit omnem exercitum,
dum devoravit integrum gallum Indicum,
vinumque nobiliſſimum toti agmini
à Duce paratum ſolus exhauſit. puer
adeo inſolens tot crimina impunè audeat?

Vexillif. Quia læſit omnem exercitum in re tam gravi,
ut judico, ſtatuatur Exemplum grave;
& verberetur ſtrenuè fur publicus.

Pueri omnes præter Crepillum.
Sit, verberetur ſtrenuè fur publicus.

Decu-

Decurio arripit Crepillum, qui in genua procidens ſupplicat.

Decur. huc ergo tergum. *Crep.* gratiam, obſecro, gratiam
Domini duces! *Colon.* Eſt gratiæ nullus locus.
Decurio! *innuit Decurioni, ut verberet.*
Crepill. promitto, ſanctéque voveo
Nullum amplius gallum indicum pro Barbaro
aut Agareno habebo. *Colon.* Munus fac tuum
Decurio. *Crep.* Nec ſanguinem hoſtilem bibam.

Colon. Decurio fac juſſa. *Crep.* Domine ſignifer
I, ſupplica, mihique gratiam hac vice
Tantum impetra. *Signif.* jam gratiæ nimis datum.
Pro fure quinquaginta tantum verbera
Pœna levis eſt. Suſpendio tantum ſcelus
Plecti deceret. *Decur.* ergo, dum ferrum calet,
Cudamus; agedum: *iterum arripit Crepillum verberaturus*
Colon. Siſte, de ſuſpendio
Locutus es Vexillifer, nullus tamen
Eſt lictor hoc in agmine? *Vexill.* hinc votis datis
eligimus aliquem; namque in omni exercitu
Lictor ſupremus ſemper eſt primaria
Perſona. *Cent.* dicis optimè; ſed quis velit
Suſci-

Suſcipere munus haud ſatis honeſtum omnibus?
Colon. Veniam Crepillo demus hac lege, ut ſiat
In agmine Sacro lictor. An non milites
Ducésque comprobatis hanc ſententiam?
Pueri omnes. Probamus omnes. *Crep.* gratias ſummas, duces
& milites, rependo vobis. *Decur.* Non ſapis.
Mavelim ego ſuſtinere centum verbera,
quam Lictor eſſe. *Crep.* guſtus eſt alius mihi,
Mille pueros ſuſpendere hac malim die,
quàm ſuſtinere quinquaginta verbera.
Ego jam manum Decurio evaſi tùam;
Attende tu tibi, quomodo evadas meam.
Colon. Decurio. *Decur.* quæ juſſa? *Colon.* Sarcinam hanc cape,
Et divide inter milites, quidquid ſuper.
Decur. Decurioni portio nunquid duplex
debetur? *Colon.* Inter proximas has arbores
abſumite hoc; ſed tympano audito ocyus
In ordinem totus redeat exercitus.
Decur. vivat ſupremus ductor & tam providus,
tam liberalis in ſuos. *pueri omnes exceptis ducibus.* vivat diu,
ductor Supremus. *diſcedunt pueri. Colon.* tympanotriba hic mane,
ut convocari milites poſſint dato
Pro more ſigno. *Tymp.* Ignoſce; nam Corpuſculum
Curare pariter debeo. *Colon.* Ergo tympanum
Saltem relinque; nam ipſe jam ſignum dabo.
relicto tympano abit Tympanotriba.

Signifer. Subſignifer! ſubſiſte pariter, ut feras vexilla; nam defeſſa jam manus mea eſt. *tradit ſubſignifero vexillum.*

Scena Quinta.

Colonellus. Centurio. Signifer. Subſignifer.

Subſign. Subſiſto; ſed quod ſpero vobiſcum duces
Curabo corpus; nam gregali militi
non ceſſeris utique omnia; at partem optimam
tibi, tuisque ducibus è penu túa
Servâris. ubi dic Sarcina eſt, quæ continet
vobis parata? *Colon.* Sarcina alia non ſuper,
Nihil mihi ducibusve ſervavi. *Subſign.* Nihil?
*Colon.*petimus Duces nosSobrii terram ſacram,
& militi abſtinentiæ exemplum damus
Illuſtre.*Subſign.*Sobrietatis exemplum Duces
Dent Militi? repugnat hoc mori omnium
Belli Ducum. *Cent.* Verum eſt. aliud ipſus meo
vidi in Parente. Militum hic doctor domum
rarò redit ſine crapula. *Col.* Quidquid duces
Soleant profani facere; nos ſacri ſumus:
Alias ſequamur regulas: dum milites
Curare gaudent corpora, duces militum
Et chriſtiani Exercitus curent bonum.
Authoritatem maximam, qua plurimum
Utique indigemus, pariet hæc fama inſolens,

quæ

quæ caſtra pervolabit, oblitos ſui
uni ſaluti Militum intendere Duces.
Signif. Dicis aliquid. *Colon.* Sedeamus ergo in gramine,
& Conſulamus invicem de Bellicis
Progreſſibus. Quid ſignifer renuis? *Signif.* Ducem
non decet humi Sedere. *Cent.* quoties in ſchola
Conſedimus humi? *Colon.* Militem omnibus decet
aſſueſcere: Sine lectulo nocte gelida
Jacere, ſtare, currere, ſedere. *Subſig.* ultimo
Pendere; nunquid? *Sedent omnes humi præter Subſigniferum, qui cum vexillo ſtat prope Tympana.*
Colon. - - - damus initia Bellico
Conſilio. agite; quid judicatis? Barbaros
An cras viritim aggredimur, an toto ſimul
exercitu? Centurio quænam tua
Sententia eſt? *Cent.* Sententia hæc mea eſt: adhuc
videtur immatura quæſtio tua
de craſtina cum Barbaris pugna; prius
deliberandum; qua via, an terra an mari,
exercitum trajicimus in terram Sacram?
Col. vidi prius Naviculam hoc in littore
Senemque nautam; poſſet imponi Sacer
exercitus & hac trajici velox rate
ad Littora Paleſtina. *Cent.* Sententia placet,
Nam ſic ſedendo milites noſtri nihil
Fracti viæ laboribus terram Sacram
Attingerent. *Sign.* Proteſtor; ego nolim mare

Adire tot periculis obnoxium.
Quid Domina Mater diceret, ſi naufragum
Me devoraret Bellua Marina, antequam
Ego devoraſſem Barbarum ? Tam inglorius
Jacere nolim in Ventre Ceti. *Colon.* nil time;
Non alta petimus Maria; Danubii modo
Littora legentes proxima ad terram Sacram
Penetrabimus. *Vexillif.* Danubius etiam non ſatis
Eſt tutus, hauſit ille pueros plurimos,
Sorpſitque, ſic enim Domina Mater mihi.

Cent. Quoties ego Danubii in undis me lavans
Natansque, ſemper tutus evaſi, nihil
Periculi unquam expertus. *Vexill.* ego vitam meam
Non auſim aquis committere; potius domum
Redibo. *Colon.* Terreſtri igitur itinere ad ſacras
Tendamus oras ? *Cent.* calceos miles nimis
Terreſtri itinere deteret, & ego novas
has ocreas maculare lutoſa via
Non ambio. *Vexill.* Igitur ocreas præ vita amas?

Subſig. An & mihi conceditis ſuffragium
In hoc Senatu Bellico ? *Colon.* concedimus.

Subſign. Curru vehendum Exercitum omnem cenſeo.
Sic namque Salvis Calceis & ocreis
& nec viæ labore fractus, nec maris
Periculis obnoxius Terram Sacram
Attingeret facillimè. *Cent.* at currus hic ubi?
ubi ſunt Equi, qui Exercitum tantum vehant?

Colon.

Colon. Quin optimum hoc eſt: Itineris tota ratio
Sancto viro Comittitor. Terram Sacram
Sæpius adivit, optimè novit viam;
quæ planior, vel brevior. *Vexill.* & quæ tutior,
Ad hoc enim primariò attendi decet.

Scena Sexta.

Perſonis prioribus accedit Decurio.

Decur. Accurrite Duces. ſolus haud poſſum ſatis
Tenere in ordine militem & compeſcere,
Ni liceat uti hoc baculo. *Colon.* Id abſit: nam Sacrum
Veto verberari militem. *Cent.* Quid verò agunt?
In quo inſoleſcunt milites noſtri? *Decur.* Quia
Pleni furore Martio hoſtem non habent,
Diverberant ſe mutuo, idque ſtrenuè:
hinc inde volitant Pilei & vulſi pili.
Colon. Equidem placet in Exercitu fervor mihi,
Et Martialis ſpiritus; ſed næ nimis
Ferveſcat, atque in mutuas clades agat,
Duces eamus. Noſtra facilè militem
Authoritas compeſcet: *Cent.* at cautè tamen
Agamus, ut non penitus accenſas benè
In pectore extinguamus heroas faces.
Sign. Meum, Theona, redde vexillum mihi,
& tolle tecum Tympanum hoc. *Subſign.* Subſignifer

Agamne pariter Tympanotribæ vices?
Colon. Vir ſtrenuus ſe pluribus parem probat
Muneribus;aptum ad omnia æſtimantDuces,
& promovebunt forſan hac adhuc die
ad Altiora. *Subſign.* fretus hac ſpe vos ſequor
Decur. ad altiora promoveri non peto.
Innuit Suſpendium.

Pars Secunda.

Scena Prima.

Colonellus. Centurio. Signifer.

Colon. Pacatus eſt Exercitus. *Cent.* Magno ſtetit
Nobis labore. *Sign.* tota noſtra authoritas
ſuffecit ægrè, ut poneret rixas nimis
Incenſus alto ſpiritu miles Sacer.
Colon. Sedeamus & conſilia Belli, quæ prius
abrupta ſunt, proſequimur. *Sedent duces in gramine*
Cent. at quis huc gradum?
Vexillif. Goglovus eſt. *Colon.* aſſurgite ergo.

Scena Secunda.

Perſonis prioribus accedit Goglovius cum aliquot Pueris, qui omnes veſtiti ſunt Hungaricè.

Goglovius. - - - Milites
Adduco, Socii, Barbaris quàm Maxime

Solitos

Solitos timeri: Martios nempe Hungaros.
Colon. An ergo in Hungaria fuiſti primùm heri, ut inde tales Maſculos collegeris?
Gogl. Non Hungaria, ſed Patria Höchſtadium dedit
Tales Viros. *Cent.* Ergo pueri hi ſunt ſinguli
Höchſtadiani. *Höchſtad. 1mus.* Fuimus heſterna die
Höchſtadiani; Sed hodie Hungari ſumus,
Veſtes utique videtis. *Colon.* hæ veſtes placent,
Sub veſtibus ſi ſpiritus pares latent.
Gogl. Patere, non latere ſpiritus decet.
Oſtendite ora Martia & barbas manu
Mulcete forti. Stringite etiam acinaces,
Auraſque verberate. *Dum alii ſtringunt acinaces unus eorum non poteſt ſuum extrahere.*
Höchſtad. 2dus. - - vah! ferrum inſolens!
Prodire non vis! *Höchſtad. 3us.* væ tibi, ſi jam adforet
Hîc Agarenorum aliquis; absque acinace
coram hoſte quomodo ſtare poſſes? *Höchſtad. 2dus* currerem,
Non ſtarem. Achilles adjuva. Manum admove
Duo pueri, conantur fruſtra extrahere acinacem.
Höchſtad. 3tius. Tenax vaginæ inhæret hoc ferrum. *Höchſtad. 2dus.* Stryges
Et mille Tetri Dæmones! *Colon.* Jures, Cave.

 Höch-

Höchſtad. 2. Jurare prohibes militem? *Colon.* Miles poteſt

Jurare, qui profanus eſt; ſed nos ſacri debemus abſtinere. *Höchſtad.* 2. tentemus iterum.

Ad te Vaginam fortiùs Achilles trahe,
Ego Manubrium. Trahe, trahe!
acinacem ſubito dimittente Achille procidit humi alter.

Höchſtad. 2. *Prolapſus.* - - - Prôh ſacra Millena, ter Centena! *Colon.* Juras denuò?

Höchſtad. 2. Per Sacra tantum, Hoc militem ſacrum decet.

Gogl. Quieſcat hodie gladius, ubi Coram hoſtibus

Steteris, Vagina exiliet ultro. Vos quoque
Reddite vaginis arma, næ fors obvii
Commilitones territi auffugiant procul:
Cras denuò jubebo ſtringi acinaces
in Barbarorum Capita. *Höchſtad.* 1*mus* Quàm ægrè craſtinum
Exſpecto. *Höchſtad.* 2*dus.* Tota nocte, ſat ſcio, nihil
niſi arma ſomniabo, & adſtrata pedibus
Cadavera Agarena. *Höchſtad.* 3*tius.* Nec ſomnum quidem
admittet oculus, donec everſa videat
Inimica Caſtra. *Höchſtad.* 4*tus.* Ducite ergo, ducite
nos prompti in hoſtem. *Omnes Höchſtadiani*
- - - & ducite hac adhuc die.

Colon.

Colon. Multum calore Martio ardeſcunt tui.
Höchſtadiani. *Höchſtad. 1.* Non ſumus nos amplius
Höchſtadiani, at Huſſari. *Omnes Höchſtadiani.*
- - - - - - Huſſari ſumus.

Cent. Sed Huſſari inter Hungaros ſemper Equites
vocantur, ubi ſunt veſtri equi? *Höchſtad. 2dus* victoriâ
Ex hoſtibus Cras partâ equos habebimus
Plus quàm ſatis. *Vexillif.* Sed jam ante prælium Huſſaros
Equites decet pugnare. *Höchſtad. 3.* Plurimos equos
In paſcuis videbimus, quos ruſticis
Rapiemus. *Colon.* at ſi Chriſtiani ruſtici
hi ſint? decétne rapere militem Sacrum
Fidelibus, Sociisque? *Goglov.* non ſolet Huſſarus
Diſtinguere hoſtes inter & Socios; ubi
occaſio ſe præbet, Huſſaro licet
Egiſſe prædam. *Höchſt. 3.* hinc Huſſari facti ſumus

Colon. Veſtes quidem vos Hungaros forſan probant;
Sed lingua? *Höchſtad. 3.* linguam pariter Hungaricam ſcio.

Höchſtad. 3. Hungarica juramenta ſunt, quæ â Patre meo
Sum doctus. *Cent.* anné eſt Hungarus Pater tuus?

Hôchſt. 3. Hôchſtadianus eſt, ſed inter hungaros
verſatus olim miles hungaricè loqui,
aut ſtrenue jurare ſaltem doctus eſt.
Colon. at nolim ego jurare milites ſacros.
Gogl. ſint vetita juramenta tantum ſuevica;
Hungarica concedantur, ut veri Hungari
Videamur, & timeamur â Turcis magis.
Centurio. Jam vos Sacro cum exercitu conjungite.
Gogl. ubi cæteri ſunt Milites? *Vexillif.* Sub proximis
Arboribus æſtu martio pleni brevem
Captant quietem, dum redux urbe veniat,
quem noſcitis, Eremita ductor Agminis
Sacri futurus. *Gogl.* Nos quoque æſtu Martio
Pleni quiete egemus. Intramus nemus,
& inter umbras arborum præludimus
Craſtinâ ineundo prælio. *Colon.* Quin ſiſtite
adhuc parumper. video; vos nondum Cruce
Signâſtis. *Gogl.* utique manè dum ſurreximus,
Signavimus nos. Imprimite fronti Crucem.
Goglovius & Höchſtadiani omnes ſignant ſe Cruce.
Colon. non exigo hîc in fronte formandam Crucem;
Sed Pileis & veſtibus, prout decet,
& nos habere cernis, aſſutam volo.
Hæc nempe Crux eſt teſſera Sacri Militis.
Cent. Sed forte non habebitis pannos rubros,
Ex queis Cruces formetis. *Vexill.* haud opus rubro

Panno

Panno eſt. Papyrus ſufficit. *Höchſtad.* imus ſupereſt mihi
Papyrus; at tantum alba. *Gogl.* diſtribuas modò,
Mox barbarorùm Sanguine Papyrum rubram
Pingemus. *Höchſtad.* 4. Imo reliquias panni rubri
Mecum fero; Sartoris etenim filius
Panni reliquias undique avidus colligo;
nam dudum ita ſum doctus exemplo Patris.
Gogl. Age ergo. veſtibus aſſue rubeas Cruces.
Colon. Sine Teſſera hac militibus adjungi Sacris
Non convenit. *Höchſtad.* 4. ſequamini ergo, Singulis
aptans Cruces creabo Milites Sacros.

Scena Tertia.

Perſonis prioribus accedit aliquis ex Pueris Dilinganis.

Dilinganus. Ad arma! ad arma! aut fugite! jam hoſtis imminet.
Cent. quis hoſtis? unde? *Colon.* Vanus eſt terror, nihil
Hoſtile, quando in Patriis terris adhuc
Conſiſtimus, timeamus. *Diling.* at vidi tamen
In nemore turbam, Barbaram certe probant
Veſtes, & Arma horrenda, quæ phalanx vibrat
Peregrina. *Vexillif.* Num tranſierit ad noſtras plagas
fors Agarena Legio? *Colon.* quid ſubſit rei,

Vos

Vos Huſſari explorate. *Goglov.* Crucibus nos prius
Signemus; hac ſine teſſera non convenit
Jungi Sacris Militibus.
abeunt Höchſtadiani properè.
Cent. - - - - adeo exercitum,
ut tutiora poſcat, admoneo. *Vexill.* aſt ego
Nemorum receſſus poſco, quo ſalvem Sacra
Vexilla. *Colon.* Siſte ô timide! Siſte! non decet
abſcondere, at præferre vexillum palam.
Dilinganus poſtquam propius videt adventantes
Diling. Subſiſtite omnes, Noſco Plunzillum ducem
Cohortis adventantis. *Colon. conſiderans* Eſt; noſco pariter;
Plunzillus eſt, Amicus, & ſocios novos
Adducit *Cent.* Ergo ſtemus audacter. *Colon.* juvat
Excipere Socios, ore, quo decet duces,
Interrito, ſimulque amico. tu cave
Impoſterum terrere nuntiis novis.

Scena Quarta.

Colonellus, Decurio, Signifer, Plunzillus, Plures Pueri Lavingani Barbaris veſtibus, uti urſorum pellibus induti, varia antiqua arma portantes, alii Loricas, alii ferreas ocreas &c.

Plunzillus ad Duces. Comilitones ſtrenui, quæ heri dedi Pro-

Promiſſa, nunc exſolvo; robur patriæ
adduco, quotquot Maſculos claudit ſinu
Mavortio Lavinga, ſe prompti offerunt;
Comites ad arma Sacra. Sed loquamini
Ipſi, & patefacite ſpiritus dignos Avis.

Laving. 1. Ubi Agarenus? absque Miſericordia
Mactabo, devorabo Vivum. *Laving. 2dus.* Lancea
Hac Barbarum transfodio. *Laving. 3tius.* transfixumveru
Affigo, fixum torreo inſtar Anſeris.
toſtúmque pro jentaculo abſumo. *Laving. 4.* aſt ego
Iſthac ſecuri Barbarum velut Bovem
Ictu unico proſterno. *Laving. 5.* Mea Barba hæc ſatis
erit ad fugandum, ſiquis hoſtis ſe audeat
offerre nobis, vel capi ſi ſe ſinet,
hic culter excoriabit, & ſic barbari
Pellem triumphans inferam Patriæ meæ.

Plunz. Quis crediſſet inter urbis unius
Et qualis eſt Lavinga tantùm, Mœnia
Tam Heroa claudi pectora, & Pubem auſibus
tantis parem? *Colon.* Miramur. *Vexill.* aſt unde varia
Hæc arma vobis? unde ferreus Thorax?
Lorica? Galea? ferreæ in pede Ocreæ?

Laving. 1. Urbis præeſt armario Parens meus,
Cui dexterè ſubduximus Claves heri,
Et arma quæque aptiſſima ad bellum Sacrum
Delegimus. *Laving. 6tus.* Sutoris Heroi Illius,
quo gloriatur Patria, & quem poſteris

Lavin-

Lavinga pictum publica in turre exhibet,
Hic enſis eſt; hoc ille metuendum omnibus
ſtravit gigantem. *Laving*. 2. Lanceam hanc frater meus
olim in Paraſceves die Longinum agens
Circumtulit; nunc dextera vibrabit mea
In BarbarorumCorpora. *Lav.3*. hoc ego veru
rapui e culina. fodiat hoc non unius
Latus Agareni. *Laving*. *4tus*. Sternere hac Boves Pater
Solitus ſecuri eſt; hac ego velut boves
ſternam Agarenos. *Laving*. *5tus*. Pellio eſt Pater meus
Qui dicitur pro Martibus vendere catos,
Caudas catorum provide aptavi mihi,
Ex his tremenda barba dependet genis.
Et pellis Indæ tygridis humeros aſperat.
Colon. Höchſtadiani in prælio Huſſaros agent;
Nonne cataphractos agere vos equites placet?
Quando Thoraces ferreos, & ocreas
Galeásque jam plerique veſtrorum gerunt?
Laving. 1. Ego jam ſatis equitavi in Aſino per ſcholas,
Ferociores, credo, ſunt Aſinis equi.
Laving. 2. Benè ratiocinaris; eſt temerarium
Pugnare duplici cum hoſte; cum feris equis
& Barbaris. *Vexillif*. ſed ferreis ocreis graves
Quomodo poteritis currere in caſu ultimæ
Neceſſitatis? *Laving*.2. de fuga loqueris? niſi
cogamur; haud fugiemus. *Laving*. 3. Et ſi cogimur,
has exuemus ferreas prompti togas.

Plunz.

Plunz. At cætera ubi ſunt agmina? ut Sacra ſociis
Jungamus arma? *Colon.* Militi Sacro antequam
Jungamini, ſignate vos crucibus ſacris,
In brachio, atque in Pileo. *Cent.* anne filius
Sartoris hoc in agmine eſt nullus, cui
Panni ſuperſunt fruſtula, & panni rubri?
Plunz. Si filius Sartoris inter nos foret,
Non ſuſtinerem: Milites enim volo
Omnes honeſti generis. *Vexillif.* Ergo accedite
Höchſtadianos, petite, vobis affuánt
Cruces ſacratas. tum redite omnes ſimul.
Plunz. Sed non abibitis antea in terram ſacram,
donec reverſi ſimus. *Colon.* Exſpectabimus;
Movebit etenim exercitus totus ſimul.
abeunt Lavingani omnes.

Scena Quinta.

Colonellus, Centurio, Signifer.

Cent. jam nil deeſt, niſi unicus doctor viæ
Vir Sanctus. *Vexillifer.* utinam adeſſet; alias ſi diu
Morabitur, terram ſacram hodierna die
Exercitus vix poterit attingere. *Colon.* Igitur
Centurio aliquot militum mitte obviam
Sancto viro; fac urgeant, ut huc citus
Ex urbe redeat. *Vexill.* Interim collem hunc ego
conſcendo, quo proſpectus amplior patet;
ſi fors propinquus jam ſit. *Colon.* Ego vero ſacrum ſubiens

ſubiens ſepulchrum orabo, felix ut fluat
Noſtra expeditio. *Vexillif.* orare num decet ducem?
Colon. Ducem profanum dedecet, at ſacrum decet.

Pars Tertia.

Scena Prima.

Menalcas, *Mopſulus.*

Menalcas. Nunquid iterum pro more mentitus tuo es?
Nullos ego video Milites, nec audio.
Mops. ſi falſa dixi, non ego mendax fui;
ſed Zoſmulus, qui dixerat ſanctum Patrem
ex urbe cives ducere armatos, ſacram
Terram petentes. Audii etiam his auribus
ſtrepitum ferocem Tympani. *Menal.* Interim tamen
Nullos ego video Milites, nec audio.
Mops. Jam nempe tranſiere. at ecce! Zosmulus huc ipſus.

Scena Secunda.

Menalcas, *Mopſulus*, *Zosmulus.*

- - Anne ex urbe jam rediit tuus
Sanctus Magiſter? *Zosm:* rediit. *Menal.* & civis ſimul
ad ſacra ſequitur bella? *Zosm.* ne canis quidem
Armatus illum ſequitur. *Mops.* ergo Tympana,
Quæ

Quæ prius uterque audivimus - - *Zoſm.* inane pueri
Fecêre murmur, ſpirantes quidem,
Sed cui bono? dum civium nec unicus
Commotus ardentiſſima quamvis Patris
Eſt Concione. quòd graviſſimè ſenem
Affligit. hinc iratus incluſit ſuæ
Se Cellulæ. *Mops.* Solatium afferre poteris
Si nunties, loco parentum filios
Promptos, ad arma adeſſe. *Zoſm.* Num ſancto ſeni
Solatio fore creditis, quod in novas
Graveſque curas conjicit? *Menal.* cur in novas
Graveſque curas? *Zoſm.* nempe ſi audiant Patres
Abiiſſe Natos clanculùm, & procul domo,
Culpam imputabunt denique Magiſtro meo,
Quaſi Sacris ſermonibus, quibus Patres
Conatus eſt accendere ad Bellum Sacrum,
Malè filios ſeduxerit. Quis civium
Inde furor in nos? obſecro veſtram mihi
Patrique in hoc periculo jungite operam,
Pueríſque perſuadete, mox redeant domum.
Menalc. Pater ipſe ſanctus prodeat, & hæc ſuadeat;
Suada illius potentior, quàm noſtra erit.
Zoſm. Sanctum Patrem prodire non ſinit pudor
Et dolor & ira; neminem vult alloqui;
Graviſſimum hoc negotium impoſuit mihi.
Minatus etiam verbera, niſi effecero,
Ut ad Parentes filii reduces ſacra
Arma exuant, ſcholáſque caſtrorum loco

Subire pergant. *Mops.* quomodo ut pueri
ſcholas
Repetant, movebis? *Zosm.* Incidit aliquis
dolus,
Quem promovere ſtrenuè vos poteritis;
TibiMenalca agendaPerſona eſt. *Menal.* mihi?
Zosm. Sed muta tantùm. at video pueri pro-
deunt;
Intro venite. pandam plura.

Scena Tertia.

Centurio, Signifer, Subſignifer.

Cent. - - - - - - Zosmule!
Zosmule! recedit. *Signif.* ſinite, mihique
credite
Clariſſimè hoc in colle conſiſtens Patrem
Ex urbe reducem vidi, & absque exercitu
Vel civibus ſequentibus. *Cent.* igitur Ducem
Noſtrum monemus. *Subſign.* Ecce jam pro-
dit Sacro
Ipſus ſepulchro.

Scena Quarta.

*Colonellus, Centurio, Signifer, Sub-
ſignifer.*

Centurio. - - - an ſomnus oppreſſit oculos
Inter precandum? *Colon.* Quin ſacra extaſis
fuit
Non ſomnus; at vos quid? *Sign.* redux in
Cellula
Vir Sanctus hæret; ipſe ſubeuntem procul
Ex

Ex Colle vidi. *Colon.* ſic bene eſt, Exercitum
Mox convocate Tympano. *Sign.* pleno agmine
Jam jam appropinquant.

Scena Quinta.

Totus Exercitus Puerorum.

Decurio - - adſumus jam omnes ſimul
Gogl. Nullus meorum Caſtra deſeruit Sacra
Hucusque. *Plunz.* Nec Lavinga dulcis Patria
Quemquam retraxit. *Colon.* gaudeo & laudo fidem.
Accedimus jam tamdiu optatum Ducem
Sanctum Virum. Sed agmine in juſtum ordinem
Prius redacto: dexterum teneat latus
Höchſtadianus Huſſarus, lævam occupet
Hæc Legio Lavingana. *Plunz.* Proteſtor, Latus
Höchſtadianis dexterum non cedimus
Gogl. Nec nos in acie ſtamus ad lævam, domum
Citius redimus. *Plunz.* poſſumus nos quoque domum
Redire. *Uterque Plunzill. & Goglov.* Socii!
Höchſtad. &
Lavingani omnes - - - - cedimus nulli;
Domum
Potius redimus. *Colon.* ſiſtite, oro, & jurgi
Deponite Sacri Milites. abſit procul
Ambitio tam funeſta. ne quisquam tamen
Fors jure poſſit conqueri, mutabitis
Vices, & alternatim in acie ſtabitis;

 Nunc

Nunc ad ſiniſtram cum ſuis Goglovius,
Ad dexteram Plunzillus, & die altera
Ad dexteram Goglovius, lævam tui
Plunzille teneant. *Plunz.* aſt ubi tu cum tuis
Sempérne medium poſcitis vobis locum?
Colon. Credo, ſine controverſia hunc nobis locum
Cedetis; *Gogl.* Et cur? *Signif.* nempe ſtudioſi ſumus
Aut fuimus; & plerique jam ſemi-Domini.
Colon. Jam & ordinem dividimus inter nos Duces:
Centurio præibit agmen. *Cent.* quin ſequi
Centurionem exercitum à tergo decet,
Ut ſic queat cavere, ne quis militum
Auffugiat acie. *Signif.* Signiter medium ſolet
Semper tenere; *Tympan.* Tympanotribam quoque
Tenere medium convenit; ut ab omnibus
Sic melius audiatur. *Colon.* Ergo Decurio
In fronte ſtet, *Decur.* proteſtor; annis jam tribus
Sum ſuetus agmen claudere in ſcholis; volo
Servare morem priſtinum in caſtris quoque.
Colon. ſtet quisque noſtra pace, quo volet loco,
Stet tantum in hoſtem fortiter. *Plunz.* ſtabunt mei.
Murorum adinſtar. *Gogl.* Et mei ut Turris Babel.
Colon. Jam Tympanum, ut nos audiat Sanctus Pater
Et prodeat, ferito.

Scena

Scena Sexta.

Perſonis prioribus accedit Zosmulus.

Zosm. - - - - Ceſſate pueri,
Ceſſate. quis ſtrepitus? ita ſanctum ſenem
Turbare non veremini? *Colon.* ut Sanctus ſenex
Redux ab urbe prodeat cella ſua,
Et nos citus deducat in terram ſacram
Moneto. *Cent.* Quàm gaudebit, ubi tales viros
Videbit omnes Marte correptos ſacro
Et quod petivit omnibus votis, brevi
Sacri ſepulchri vindices. *Zosm.* Ergóne adhuc
Fixum eſt abire patria; atque Barbaras
Intrare terras? *Vexillif.* Ambigis? fixum omnibus
Mactare cunctos barbaros una die
Omnes. Mactamus omnes Barbaros una die.
Zosm. ubi Apparatus Bellicus? tentoria
Ubi? *Colon.* quid indigebimus tentoriis?
Dies Serena eſt, talis & nox hæc erit;
Zosm. ſed craſtina & ſequentibus toto itinere
Diebus anné creditis nunquam pluet!
Cent. Erepta victis Babaris tentoria
Intrabimus, ſiccóque pluvias corpore
Ridebimus. *Gogl.* Ego nocte heſterna mihi
Videbar in tentorio Vezirii
Dormire. ſpero ſomnium implendum brevi.
Plunz. Tibi arrogas Tentorium Vezirii?
Ducis Supremi? Neutiquam hoc cedam tibi.
Colon. Nolite quæſo & ante tempus jurgia
Miſcere: ſtratis barbaris Tentoria
In pace dividemus inter nos duces.

Subſig. Et quid gregales milites? *Colon*, pariter ſuum
Quisque occupabit, vel etiam plures ſimul
Poterunt quietem capere ſub eodem, *Decur*, mihi
Tentorii haud eſt cura? jam ſuetus ſum humi
Sedere, cur cubare non potero? nihil
Tam parva belli incommoda viros terreant.

Colon. Minùs Sacratos milites; age Zosmule;
Huc advoca Sanctum ſenen nobis Ducem
Belli futurum. *Zosm.* vultis ergo improvidi
De induſtria perire. *Cent.* Cur perire?
Zoſm. ſi non enſibus
Et Barbarorum manibus; at ſaltem fame
Peribitis, ſi pergitis; nam quis cibum
Potúmque vobis barbara in terra dabit?

Subſign. rapiemus ipſi; barbaris ſtratis cibi
Et vina generoſiſſima undique effluent.
Mergemur omnesMaſſico.*Zoſ.*Sed antequam
Devictus hoſtis fuerit, atque in tranſitu
Unde commeatus? *Decur*, ruſtici & gratis quidem
Quacunque miles tranſit,& potum & cibum
Præſtare debent; jura ſic belli exigunt.

Tympanotriba. gallina nulla evadet has, juro, manus,
Galluſve gallinaceus. *Gogl.* meis ego
Jam providus pro tranſitu in Terram ſacram
Cibum paravi. Oſtende ſis & detege.

Höchſtadianus prodit & in corbe oſtendit ingens pemma fermentatum. Goglhopf

Gogl. En pemma fermentatum & optatum gulæ
Höch-

Google

Höchſtadianæ ferculum. *Höchſt. 1mus.* ô
Bonum ducem!
Vivat diu Goglovius. *Höchſt. omnes.* vivat diu
Goglovius. *Laving. 1mus.* Plunzille! pro
nobis nihil
An præparatum? *Plunz.* Eſt utique proviſum
ſatis.
Ecce Lanionis filium edoctum â Patre
Apexabones Plunzen coquere, queis nil
gratius
Nil ſapidius Lavinga civibus ſuis
Apponere poteſt. *Zoſm.* Ergo Porcorum cruor
Veſtrum Palatum recreat? *Laving. 2.* de
guſtibus
Non diſputandum eſt. *Zoſm.* ſed ubi tot
porcos habes,
Quorum Cruore exercitum totum potes
Satiare? *Laving. 4tus.* porcos hoſtium è
Caſtris manus
Hæc aufferet. *Zoſm.* quin falleris; nullos alit
Tota regio Paleſtina porcos; ſic meus
Sanctus Magiſter narrat; Imo prohibitum
Eſt Agarenis graviter ullo tempore
Veſci Suilla carne. *Plunz.* ſed non ſanguine
Jubentur abſtinere; nam non eſt caro
Sanguis Suillus. *Zoſm.* ne quidem audent
tangere,
Quidquid ſuillum eſt. *Plunz.* ergo Porcorum
loco
Mactamus ipſos barbaros, horum cruor
Apexabonibus parandis ſerviet;
Queis ſplendide omnis poterit exercitus ali.
Zoſm. Veſcemini ergo Barbarorum ſanguine?

Quis poterit abſque nauſea? *Plunz.* ô te ſimplicem!
Nuper Parens Tyroleos è finibus
Miſſum recentem Turcicum, ſic nominat,
Hauſit cruorem cupidus, & Matri quoque
Quin & mihi aliquid inde guſtandum dedit,
Nil ſuavius, nil dulcius, nil ſapidius
Hoc barbarorum ſanguine in vita bibi.
Decur. guſtemus & nos; ebrii hoſtis ſanguine
Audacius pugnabimus. *Laving.* 2. videor mihi
Jamjam eſſe totus ebrius; Tanto flagrat
Hoc pectus æſtu in barbaros; *Gogl.* age Zoſmule.
Sanctum Patrem moneto: nos ducat cito,
Ut craſtina jam ſtemus in Terra ſacra.
Zoſm. quid craſtina jam ſtetis in Terra ſacra?
Volare num poteſtis, ut nocte unica
Tot menſium conficere ſperetis viam?
Signif. tot Menſium? *Subſign.* num diſtat à nobis procul
Sacra regio Paleſtina? *Tympanot.* plus leucis tribus?
Zoſm. leucis tribus? ter mille leucarum ſi iter
Confeceris, mihi crede, ne turrim quidem
Solymæ videbis. *Plunz.* tamdiu à Patria mea
Abeſſe vixdum potero, nec ſocii mei.
Colon. an Helveti eſtis? pudeat hoc ſuevis probrum
Inferre; ubique patria ſit forti viro.
Sign. Ego Patriam non curo, ſed Mater meam
Abſentiam num ferre poterit tamdiu?
Colon. Matrem ergo plus quam gloriam & fidem ſi amas,

Ad

Ad Matrem abito; nos nihil terrent viæ
Aut temporum quæcunque ſpatia. *Cent.* quin juvat
Videre multas exteras urbes. *Decur.* juvat
Diu à Scholis vacare; ſi diutius
Bellum ſacrum nos detinet, diutius
Fruemur aura libera, immunes metu
Patrum & Magiſtri. *Tymp.* dicis omnino optime;
Jucundius nonne Socii eſt percurrere
Vireta, quam ſedere triſtes in ſchola.
Omnes Diling. Jucundius. *Colon.* Nil ergo curatis moras
Longaque viarum ſpatia? *Omnes.* Curamus nihil.

Scena Septima.

Accedunt prioribus Mopſulus & Menalcas perſonatus habitu, quo ex Turcica Captivitate redeuntes, & Mendicantes utuntur, cum catena è collo, & ſimulans abſciſſam ſibi linguam.

Plunz. Sed quale ſe ſpectaculum hic offert? *Mops.* Stipem,
Domini, Miſellus iſte captivus rogat.
Cent. Captivus! *Mops.* En Catena! *Signif.* ſed liber tamen
Incedit; atque fugere quo volet, poteſt.
Zosm. cur ergo ſit captivus? aut cujus reus
Eſt criminis, & in vincula datus; *Mops.* nullius
Sceleris reus, ſed captus in bello ſacro

Ab Agarenis; *Colon.* Captus in bello Sacro?
Zosm. quod proſequi vos cupitis: *Mops.* ô
quæ paſſus eſt

In barbara hac captivitate! *Zos.* qualia?
Eloquere. *Mops.* non poteſt loqui. *Signif.*
num mutus eſt?

Mops. Non mutus eſt, ſed lingua - - -
Cent. quid lingua? *Mops.* ut vides
Reſecta. *Colon.* quis reſecuit? *Mops.* hoſtis barbarus
Nempe Agarenus. *Zos.* ſicne captivis ſolent
Reſecare linguas Barbari? *Mops.* Illis, quos
volunt
Humaniter tractare; cæteris enim
Omnino pellem detrahunt & corpore
Totô cruentos ſcorpionibus ſolent
Lacerare, terque minimum unica die
Tum mane, tum poſt prandium & ſub veſperam.
Colon. Quis iſta dicit? *Mops.* Ipſe, qui expertus fuit,
Captivus iſte. *Colon.* quomodo mutus ſine
Lingua potuit hæc dicere? *Zos.* loqui nutibus
Poteſt; & omnia exprimit. *Cent.* num
Mopſulus
De te locutus vera! *Menalcas nutibus & lallante lingua affirmat.* num linguam
ſolent
Reſecare captis barbari? *Mops.* vides. *oſtendit Menalcam*
Zosm. - - - - - - loqui
Nil

Nil poſſe vitæ totius tempore foret
Difficile ſuevo, nonne? *Decur.* fateor in ſchola
Silentium tenere vel per horulam
Mihi ſemper impoſſibile viſum eſt, quomodo
Vitam per omnem potero? *Signif.* me tenet magis,
Quod Barbari detrahere pellem corpore
Conſueverint; me namque ſine pelle reducem
Non amplius cognoſceret Mater mea.
Cent. nec me Magiſter, *Goglov.* deinde ſcorpionibus
Ter in die lacerarier tergum meum
Non ferret. aut quis animus eſt ad hæc tibi
Plunzille? *Plunz.* quis Centurio eſt tibi? *Cent.* tibi
Quis Signifer? *Signif.* ſubſignifer qualis tibi?
Subſign. qualis tibi Decurio? *Decur.* audax aſſero,
Deliberandum judico in re tam gravi
Maturius. *Colon.* maturius? nunquid ſatis
Deliberaſtis hactenus? *Cent.* neſcivimus
Tot aggravantes bella circumſtantias.
Gogl. Venite perpendenda res eſt ſeriò
Pleno in ſenatu bellico & communibus
Statuenda votis. *Colon.* Ite timida animalia. * *abit exercitus*
Et quod placet decernite, at fixum mihi eſt
Vel ſolus ibo & arma vibrabo ſacra.
Fac Zoſimule aditus pateat ad Sanctum Patrem.
Zoſim. quin ſi ſapis, conjunge te promptus tuis omnes-

Omneſque tecum celeriter reduc domum.
Col n. tam indigna ſuades Zosmule? & Sancto Patri
Contraria? at ſit, jungo me promptus meis,
Et diſſipo Conſilia timidorum. juvat
Tentare, quæque extrema, quam tanto probro
Domum redire inglorium. *abit Colon.*

Scena Octava.

Zosmulus. Menalcas, Mopſulus.

Menal. - - Nunquid benè
Egi meam perſonam? & ad votum tuum?
Mopſ. Nunquid ego pariter ſtrenuè ad mentem tuam
Mentitus animos omnium ingenti obrui
Terrore? *Zoſm.* laudes debitas â me & Patre
Sancto feretis. *Menal.* at putas pueri modò
Domum redibunt? *Zoſm.* fluctuant omnes. Super
Eſt unicus, quem mirus in puero replet
Stimulatque fervor, ſed parum unicus poteſt.
Plus ſpero poterit Zosmulus, adeo bellicum
Ipſus ſenatum; & augeo incuſſos metus.
Mopſ. visne comitemur? *Menal.* visne perſonam meam
Ut proſequar? *Mopſ.* vis mentiar diutius?
Zoſm. non eſt neceſſe; Sufficio ſolus. domum
Redite vos; Tu Mopſule tamen ſæpius
Reviſe nos & Corbe, quo priùs, Patrem
Solare; nam ſolatio modo indiget.

Mopſ,

Mopſ. dicam Parenti; mittet, ut primùm nova Gallina pariet ova, ſubſidium novum.
Abeunt Menalcas & Mopſulus.

Zoſm. jam Zosmule. - - at redire pueros conſpicor.

Scena Nona.

Zoſmulus, Colonellus, Duces & Exercitus totus.

Colon. Non aliud ipſus hortor, obteſtor, rogo:
Deliberemus denuo, at coram Viro
Sancto. *Goglov.* vir iſte Sanctus etſi ſit; tamen
Suſpectus eſt, ardore nimio accenditur
Aliósque ſimul incendit ad bellum Sacrum.
Colon. Saltem audiamus vera num ſint, quæ prius
Narravit ipſe Mopſulus. *Vexillif.* Certe magis
Suſpectus eſſe ruſticus puer poteſt
Quàm Sanctus hic Eremita. *Plunz.* ſit igitur: mea
Pace audiatur Sanctus. *Colon.* ergo accedimus
Vel huc vocamus. *Zoſm.* Dicier neutrum poteſt.
Sancti Magiſtri Zosmulus obibit vices
In hoc Senatu bellico, & veſtra dubia
Clariſſimè diſſolvet. Exponite igitur,
Quæcunque mentem ſenſa ſuſpenſam tenent.
Cent. Quod anxium me reddit, eſt, num Barbari

detra-

Detrahere pelles corpore è toto ſolent ?
Zoſ. Nec vultui parcunt; & hinc Narciſſuli
Pulcherrimi priùs, ora mox deformia,
Monſtroſa, ſpectris ſimilia apparent. *Cent.* gravis
Jactura formæ eſt. *Vexillif.* gravior eſt linguæ tamen
Amiſſio perpetua, vel num ſors ſolet
Succreſcere iterum lingua. *Zoſ.* Nil minus; tamen
Inſuper & ortus vulnere æternus dolor
linguam reſectam non loqui tantùm vetat,
Sed nec comedere patitur. *Colon.* Hæc àd nos nihil.
Nos neutiquam capiemur in bello ſacro,
Sed Barbaros capiemus. *Plunz.* hoc ſi ſpondeat
Sanctus Eremita nempe noſtrum neminem
Eſſe Capiendum â Barbaris, Terram ſacram
Prompti petemus. *Gogl.* pariter & ego cum meis
Audacter arma ſtringo. *Zoſ.* Non poterit meus
Magiſter hæc ſpondere. *Col.* ſed ego ſpondeo;
Nam ſi audeamus fortiter potius mori,
Quam Barbaris nos tradere, erimus liberi
Omni metu captivitatis Barbaræ,
In mortuorum corpora etſi ſæviant
Linguisque ſectis detrahant pelles, nihil
Nos ſentiemus amplius. *Plunz.* at ipſum hoc mori
Difficile nunquid? *Gogl.* ſpondeat Sanctus Pater

Utrum-

Utrumque, nempe neminem ex noſtro agmine
Eſſe capiendum, neç trucidandum. *Zoſ.* nequit
Vir Sanctus hoc ſpondere, quin certum ſatis,
Imo evidens eſt plurimos veſtrûm neci
Aut vinculis à Barbaris dandos. *Col.* Neci
Tradamur, eſto. glorioſi Martyres
Sic erimus. *Gogl.* Eſſe Martyres non appetunt
Höchſtadiani. *Plunz.* Perdere ſuos floſculos
Lavinga pariter renuit. *Colon.* Ite igitur, domum
Redite timidi infantuli! â nobis viris
Vos ſegregate. Nos ſatis ſoli ſumus
Ad edomandos Barbaros. *Plunz.* victoriam
Vobis precamur. *Golg.* atque palmas Martyrum.
Abeunt Höchſtadiani & Lavingani omnes.

Scena Decima.

Zoſmulus & totum Agmen Dilinganum.

Colon. utrumque reportabimus; quantum ſibi
Dilinga gratulabitur tot filios
Stantes in aris Martyres, vel Patriæ
Faſtis notatos inter Heroes Sacros.
Hic nonne vobis animus eſt interritus
Periculi contemptor; & certus mori
Vel vincere? quid hæretis? Indignus timor
Et litteratos obruit? tantum probrum
Noſtro inferamus Nomini, ut reduces Domum

Nec

Nec hoſte viſo riſui & ludibrio
Nos publico exponemus urbis totius.
Cent. Fateor, redire turpiter Domum pudet;
Sed. *Decur.* Me ſcholas ſubire denuò piget
Tædétque. *Zoſ.* Faciliùs tamen erit in ſchola
Sedere, quem ſilere lingua faucibus
Imis reſecta, aut Scorpionibus tetrum
Terga lacerari quotidie. *Colon.* Dixi. Nihi
Nobis timenda hæc. Namque non à Barbaris
Capiemur, at Capiemus ipſi Barbaros.
Modo audeamus fortiter potius mori,
Quam capta tradere corpora manibus hoſtium.
Zoſm. Sed ipſa mors terribilis in tenera nimis
Ætate non ferenda. *Colon.* Quid? propter fidem
Toleranda mors terribilis? an poterit magis
Heroa quæri? Expendite, oro, milites,
Quid ſit Beatos inter à populo coli
Poſitos in aris publicis miracula
Grandia patrare, cernere urbes integras
Totámque Patriam ſupplicem ad pedes ſuos!
Hæc decora nos, ſi Martyres ſimus, manent.
Vexill. Fateor, ſorores genibus adſtratas meis
Videre vellem. *Cent.* Supplicem mihi lubens
Meum Magiſtrum cernerem, atque gratiam
Expoſcere à me. *Subvexillif.* Mihi placeret plurimum
Patrare nova miracula. *Tymp.* Hoc idem mihi.
Comi-

Commilitones pergimus bello in ſacro,
Vel Martyres, vel glorioſi vindices
Sacri ſepulchri ſimus. *Omnes.* Eja pergimus
Vel Martyres, vel glorioſi vindices
Sacri ſepulchri! *Colon.* Sic benè eſt, jam Zoſmule
Sanctum Patrem moneto. Prodeat citus
Ducatque promptum exercitum in terram ſacram.
Zoſm. Prodire modo non poterit in precibus ſacris
Abſorptus. *Cent.* Ergo abrumpat has preces mone.
Tymp. Vel nos morarum neſcii ipſi irrumpimus
In Cellulam, atque vi pia abſtrahimus Patrem.
Dat ſignum Tympano, & omnes ſe movent verſus Cellulam Eremitæ.
Zoſ. Hoc, obſecro, ne facite, ſed ſpatium date.
Moneo Magiſtrum. *Vexill.* Sed citus. *abit Zoſm.*

Scena Undecima.

Perſonæ quæ priùs excepto Zoſmulo.

Colon. - - - - - Nos interim
Ut roboretur animus, & belli ſacri
Ardore in extinguibili pectus flagret,
In edito iſto colle, qui ſpeciem refert
Sacri ſepulchri, Jurejurando fidem
Obſtringimus, votóque militiæ ſacræ
Nos devovemus publico. Præibo ego

Hæc vota; vos ſequamini vocem meam.
Huc ſignifer Vexilla. Jam flexo genu
Vexilla binis tangite digitis duces,
Miles gregalis Tympano imponat manum.
Diling. 1. Et cur gregales milites tota manu
Biniſque tantùm vos Duces digitis fidem
Jurabitis? *Subſign.* Quia ſcilicet digitus Ducis
Plus, quam gregalis militis manus valet.
Diling. 2. An nos gregales milites tantùm
ſumus?
Te ſignifer jam ſæpe præceſſi in ſchola.
Diling. 3. Sic & ego te Centurio, cur non
pares
In dignitate ſimus in caſtris quoque
Sacróque Bello? *Cent.* Nempe Bellidux
meus
Parens fuit, & hinc filium Belliducem
Quis poſſit ægrè ferre? Privilegium
Inſigne nobilitatis eſt, ut filii
Belli Ducum naſcantur in cunis Duces.
Sign. Nec ſignifer ego factus abſque ſat gravi
Ratione ſum. Vexilla, quæ coram vides
Meis paravi ſumptibus, rubram crucem
Ex ſerico ut contexerem, ſuam abſtuli
Meæ ſorori Tæniam. *Diling. 4.* Per me
quidem
Tu ſignifer potes eſſe, tu Centurio,
Sed nos gregales milites ne dicite.

Omnes Dilingani præter Duces.

Sic eſt. Gregales milites nos non ſumus.
Diling. 1. Potius domum redimus. *Colon.*
Abſiſtite, rogo!
Periculoſo hoc ambitu in bello ſacro.

Fiemus

Fiemus omnes viribus alternis Duces.
Decur. Contentus ego Decurionis munere
Ero, dummodo ſim liber à ſcholis. *Clep.* mihi
Primarii Lictoris officium placet
Præ dignitate qualibet in hoc agmine.
Colon. Pergamus igitur, atque juremus ſacra
Sub ſigna. Genua flectimus. *Tympan.* flexo genu
Jurare raro milites vidi; tamen
Mandata ſequimur. *Colon.* Lanceas demittite,
Humúmque pronæ cuſpides ſpectent; caput
Detegite. *Subſig.* Num Ceremoniis tantis opus;
Si voluerint jurare ſacri milites? *flectunt omnes.*
Colon. Jam verba præeo.

Scena ultima.

Accedit Zoſmulus corbem ferens.

Zoſm. - - - Bona nova! nova noviſſima!
Colon. An denique ad nos prodit huc ſanctus Pater
Paratus ad iter? *Cent.* Et quid inſolitum ac novum
Illi accidit? *Zoſ.* lætiſſimum vaticinium;
Audite tantum. At, ſinite, reſpirem priùs.
Colon. Avidi audiemus. *Zoſ.* Inter orandum meus
Sanctus Magiſter raptus in cœlum fuit.
Vexill. Totúsne raptus? non redibit denuo

Ad nos? *Zoſ.* redibit, imò jam rediit Deo
Volente, veſtram in gratiam, ut renuntiet
Quæ vidit. *Colon.* Et quæ vidit? *Zoſm.*
In libro aureo
Et litteris quoque aureis veſtrûm omnium
Deſcripta vidit nomina inter Martyres
Aliquos & aliquos inter Heroes ſacros.
Cent. Noſtrum omnium, inquis, nomina in
libro aureo
Deſcripta vidit? *Decur.* num meum inter
Martyres,
An inter Heroes? *Zoſ.* Id equidem neſcio,
Sed ſcripta ſunt in aureo libro omnium
Quicunque adeſtis, nomina. An hoc non
ſatis?
Colon. Jo Sodales! Quispiam noſtrum hæſitet
Dubitétve porro ſigna victricia ſequi,
Dum ſpondet ipſe lauream & palmam polus?
Cent. Nemo hæret; omnes aureo in libro legi
Optamus. *Vexill.* Omnes inter Heroes
ſacros
Deſcripta noſtra nomina optamus. *Subſign.*
mori
Jam non timemus. *Omnes.* Non timemus
jam mori.
Col. Vir ergo ſanctus prodeat, ducat cito
Ardore plenum militem. *Zoſ.* Ardorem
hunc pium
Servate ſemper, uſque dum hora advenerit,
Qua Barbaros exſcindere & veſtra manu
Sacrum ſepulchrum redimere ſtatutum po-
lo eſt.

Colon.

Colon. Hæc hora præſens nonne jam eſt? *Zoſ.* Sancto Patri
Hæc hora revelabitur quàm proximè.
Domum interim redite. *Colon.* Quid dicis? domum
Redire nos? *Decur.* & denuo inviſam ſcholam
Adire: *Zoſin.* tantùm ad interim. Fors craſtina
Vos evocabo denuo atque omnes duce
Sancto Magiſtro adibitis terram ſacram.
Colon. Ducem ſequemur, ſed hodierna jam die
Nos ducat. *Zoſm.* Exſpectanda, quam vobis Polus
Signabit horam. Namque ſi invito Deo,
Et ante tempus arma moveatis, nihil
Feliciter procedet, imo nomina
Veſtrum omnium iam ſcripta libro in aureo
Delenda rurſum. Nemo jam inter Martyres
Signabitur, vel inter Heroes ſacros,
Quin Barbaris vos tradet iratus Deus.
Cent. Ter vera dicit Zoſmulus. *Vexill.* Nec auſim ego
Contra Deum pugnare; *Subvexill.* Tradi Barbaris
Non opto. *Zoſm.* Ponite ergo fervori modum
Et tempus exſpectate. *Colon.* Redeamus domum
Inglorii? ludibrium urbis? *Zoſm.* neutiquam
Inglorii redibitis. Sanctus Pater
Famæ omnium prævidit; imo & gloriæ.
Audite; Veſtrum ſingulos Equites creat

Sacri ſepulchri. *Decur.* Quid Equites omnes creat?
Et omnibus Equos pro reditu in urbem dabit?
Zoſim. Equites creat, id eſt, ordinis Equeſtris ſacros
Offert honores, atque titulos, qua poteſt
Authoritate, inſignia ordinis ſacri
Solenniter diſtribuet hæc vobis manus.
Subſign. An lictor etiam ſit Equites inter ſacros?
Cent. Quia lictor eſt in agmine ſacro; tranſeat.
Zoſim. *Corbem detegit.* En grana! ſimul inſignia, ſimúlque ſpolia
Noſtiſne? *Colon.* Súntne hæc grana de terra ſacra?
Zoſim. Sancti ſepulchri & Golgothæ attactu ſacra
Sudore multo hæc legit, & tergo ſuo
Per tot viarum ſpatia detulit meus
Sanctus Magiſter, & magnis tantum ſolet
Dividere mœcenatibus. Igitur cape.

Dat Colonello Integrum Roſarium ex granis grandioribus. Item Centurioni & Vexillifero.

Colon. Exoſculor pretioſa munera. *Cent.* Certe ego
Pluris corollam hanc æſtimo; e ligno licèt
Fabrefacta ſit, quam cuncta, quæ mihi dedit
Meus Magiſter munera per annum integrum
Sat multa. *Vexillif.* Grana talia & ſoror mea
Et Mater optavere jam dudum ſibi;

Gra-

Gratiſſimus ero talibus ſpoliis redux.
Subſign. Nobis pariter expoſcimus ſacra ſpolia.
Zoſm. Decurio diſtribue ſingulis;
Dat corbem Decurioni ad quam pueri accurrentes grana diripiunt.
Subſign. - - - - - Mihi
Primum. *Tymp.* Secundum mihi. *Omnes.* Meum mihi! mihi!
Decur. Si rapitis ipſi, quid ego dividam?
Zoſm. ſine,
Rapiant, ut omnes dicere queant, ſe ſacra
Domum referre ſpolia de bello ſacro.
Jam ſpolia ſacra pileis affigite
Et vos Duces ſuſpendite e collo ordinis
Inſignia. Et vos Patribus atque Matribus
Sororibusque glorioſi ſiſtite.
Cent. Repetamus urbem ad interim. *Decur.* Sed non ſcholam.
Zoſ. Communicate ſpolia veſtris Patribus
Et Matribus relata de terra ſacra.
Sic plauſibus communibus vos civitas
Excipiet omnis. *Colon.* Siſtite! à Sancto viro
Adhuc petamus gratiam: ad nos prodeat
Et interim ſacro agmini dextra ſua
Piè precetur, donec optatam Polus
Revelet horam, qua velit noſtra manu
Sacrum ſepulchrum Barbaro eripi jugo.
Zoſm. Quod poſcitis piiſſimè, hoc ego nomine
Sancti Viri præſtabo. Vobis optime
Precabor. *Cent.* An tu ſanctus es? *Zoſ.* nondum quidem
Sed brevi ero. Sanctus interim Pater meus

In Extaſin rapiendus ad ternos dies
Piè precandi munus impoſuit mihi
Suum relinquens ſpiritum, ut quondam ſuo
Diſcipulo Elias; Itaque dexteræ meæ
Tanta eſt poteſtas, tanta virtus, quantam habet
Meus Magiſter ipſemet. Flectite igitur:
Manus levate, capita demittite pii.

Tum ſilens manus imponit capitibus Ducum, & ter ingentem binis manibus crucem format ſuper agmen totum puerorum.

Jam ſurgite, & redite generoſi Domum
Memoréſque vos eſſe aureo inſcriptos libro,
Quaſi Martyres, Imò quaſi Heroes ſacros.

Colon. Vexilla volitent; Tympana ſonorum ſtrepant
Annuntiéntque civibus victoriam
Palmasque partas hoſte ne viſo quidem.

Omnes. Victoria, Jo! Victoria! Jo victoria!

O. A. M. D. G.

VUL-

VULPANSER.

Argumentum.

Puerum damus, à Dynaſtæ filio ex anſerum cuſtodia in arcem & comitis inter Ephebos aſſumptum; hic ſuperbè jactabat ſe unum in Adamo non peccâſſe, utpote ab omni curioſitatis vitio immunem, cujus alios omnes,& ipſum etiam comitem identidem arguebat. Tandem & ipſe deprehenſus omnium curioſiſſimus pœnas hujus vitii dedit ad anſerum cuſtodiam remiſſus. Cur vero actiunculam hanc Vulpanſerem vocemus, ſcena dabit!

Quæ Figitur in nemore arci vicino.

Perſonæ.

Heribertus, Dynaſtæ Filius.
Roſindus } Nobiles adoleſcentes
Cervinus } Heriberti Sodales.
Vulpulus, Ex anſerum cuſtode Ephebus.
Euſtachius, Heriberti Famulus.
Mopſus, Auceps.
Ganſerellus, Mopſi Filius, cuſtos anſerum.
Duo Pueri Itali.

Pars Prima.

Scena Prima.

Perſonæ. Mopſus, Ganſerellus.

Mopſus * Remaneto puer, & anſeres curæ tuæ
Concreditos fac ſedulò cuſtodias.
Ganſerellus. Mallem, Parens, in nemora te accupem ſequi.
Honeſtius utique eſſet hoc vitæ genus
Venatio avium, quàm anſerum cuſtodia;
Nam nobiles quoque avibus inſidias ſtruunt;
Aſt anſeres quis paſcere per agros ſolet,
Niſi ruſticorum filii? *Mops.* quantos alis
Puer ſuperbe ſpiritus! nobiles cupis
Imitarier? rubeſcis anſerum gregi
Præeſſe Dux? Ito! Ito! pavit anſeres
Tuus parens, avusque, forſan & atavus,
Veſtigia Patrum ſequere. *Gans.* Somnium tamen
Heri mihi promiſerat ſortem parem
Cum Vulpulo. Sed ecce! ſalvé Vulpule!

Scena Secunda.

Perſonæ. Vulpulus, Mopſus, Ganſerellus.

Vulpulus. Ut ruſtice puer loqueris? aſſueſce melius
Dixiſſe: Domine Vulpule! *Mops.* Domine Vulpule?
Nonne ille tu, qui pauculos abhinc dies
Gregem anſerum paviſti in hac vicinia?

Vulp.

* Portans retia volucrum.

Vulp. Olim anſeres ſi Vulpulus pavit, modo
Mutata ſcena eſt. anſeres jam Vulpulum
Paſcunt, & hodie denuo affatus bene,
Et pinguis anſer ventre recubabit meo.
Mops. Ergóne verum, ex anſerum cuſtodia
Traductum in arcem Vulpulum in pediſſequum,
Et Junioris Comitis inter ſervulos
Aſſumptum? & - - *Vulp.* Haud pediſſequus vel ſervulus
Eſt Vulpulus, at Ephebus, & primus quidem,
Brevi futurus, neſcio, quàm præpotens
Quantúsque Dominus, forte vix comite minor:
Gans. O te beatum! nunquid etiam ego Parens,
Sperare potero Vulpulo ſortem parem?
Et anſerum cuſtodia, exemptus - *Mops.* tace.
Vulp. Si paria mecum merita, ſi forma, indoles,
Animíque dotes cæteræ tibi forent,
Sperare poſſes; at modo quàm tu mihi
Diſſimilis es! vel unicum hoc à te peto:
Peccâſſe te non ſentis in primo Patre?
Gans. In Patre Primo? num ergo complures mihi
Patres fuêre? *Vulp.* intelligo primum Pàtrem
Scilicet Adamum. *Mops.* Quæſtio hæc mirabilis!
Omnes utique peccavimus Primo in Patre.
Vulp. At non ego: nam curioſus (credite)
Ut cæteri homines, Vulpulus nunquam fuit.

Scena

Scena Tertia.

Perſonæ. accedunt Roſindus, & Cervinus.

Roſindus. * Cervine! nullus dubito, ſuccedet dolus,
Proprioque laqueo captus hærebit puer
Superbus ille Vulpulus. Mopſe! cupidus
Te junior jam ſat diu exſpectat comes
Unáque tecum filium. *Mops.* Sed interim
Quis anſeres cuſtodiet? *Gans.* curam hanc Pater
Depone. prævidebo. *Cerv.* Quin jamjam Comes
Providit, & qui paſcat anſerum greges,
Subſtituit è vicinia. *Gans.* Ergo imus Pater.
Lætiſſimus ad aucupia te demum ſequor.

Scena Quarta.

Perſonæ. Vulpulus, Roſindus, Cervinus.

Vulp. An ſoli adeſtis? Junior ubi hæret Comes?
Non hanc adibit aream, ad quam me tamen
Præire juſſit? *Roſ.* veniet huc, moram brevem
Patiaris. *Vulp.* At cur filium Mopſi vocat?
Cerv. Ridiculum, quem neſcio, ludum parat,
Cui Ganſerellus, credo, multum ſerviet.
Vulp. Quis ludus iſte? *Roſind.* Vulpule! attende, & cave
Ne curioſus eſſe videaris. *Vulp.* Mea

Hæc

* Prope ſcenam.

Hæc Quæſtio nihil curioſi habet; tamen
Ne ſcandalo ſim cæteris, non pluribus
Interrogo. Quemcunque det ludum Comes,
Præſcire neutiquam aveo, muneri meo
Intentus. *Cerv.* Avibus nempe capiendis?
Roſ. favet,
Ut video, tibi fortuna. volucrum copiam
In retia tua compulit. *Vulp.* Nil Vulpulo
Fortuna dedit. Induſtriæ eſt fructus meæ
Hæc præda volucrum. *Cerv.* Induſtriam admiror tuam.
Roſind. Sed me, fatebor, miſeret innocentium
Avicularum. *Vulp.* Miſeret? haud, mihi credite,
Sunt innocentes inter alites Pari.
Animalcula nimis curioſa criminis
Pœnas dedêre debitas. *Cerv.* Ergo arguis
Etiam volucres criminis, quod ſcilicet
Sint curioſæ? *Vulp.* Crimen eſt turpiſſimum
Quæcunque curioſitas, in fœminis
Toleranda tantum. moneo, tanto à crimine
Cavete vobis ſedulo, damnum niſi
Graviſſimum velitis incurrere. *Roſ.* Plum
Monitum ſequemur ſeduli exemplo tuo,
Cerv. At ecce! jam cum Euſtachio prodit Comes.

Scena Quinta.

***Perſonæ.** Heribertus, Euſtachius portans ſub Axilla clauſam ciſtulam. Vulpulus, Roſindus, Cervinus.*

Cervin. *En! quàm benigna Vulpulo favit hodie For-

* Ad Heribertum.

Fortuna, volucrum copia oppreſſus gemit.
Vulp. Dixi prius: fortuna nil dedit mihi,
Induſtria mea ſola, quam prædam vides,
Collegit. *Roſ.* Omnes nempe, quos cœpit, Pari
Peccaverant in Adamo, & hinc pœnas rei
Dedêre curioſitati debitas.
Heribertus. Fortuna, ſive induſtria tibi Vulpule
Dederit volucrum copiam; at nobis tamen
Præda obtigit felicior. *Cerv.* Quænam, obſecro!
Vulpésne, vel lepuſculus, vel Hinnulus?
Vulp. O curioſum! non potes moram pati,
Hæc donec ipſe Dominus enarret comes?
Herib. Eſt pæda Vulpe, aut lepore, vel cervo minor;
Sed raritate præſtat omnibus feris.
Euſt. Inter vireta proxima inventum modo
In hac tenemus arcula incluſum. *Roſ.* Quid hac
Clauſum tenetis arcula? *Herib.* Quid Vulpule
Latere credis? *Vulp.* curioſus non ſum ego:
An Urſus, an Camelus hic lateat, meâ
Non intereſt. *Herib.* Vidiſtin aliquando anſeris
Ovum? *Vulp.* anſeris? *Cerv.* diu utique paviſti anſeres,
Et anſerum ova videris, plus quàm ſatis.
Vulp. Fortaſſe vidi; ſed tamen nunquam mera
Ex curioſitate. *Herib.* Num & Vulpanſeris
Ovum recens aliquando conſpectum tibi?

Vulp.

Vulp. Vulpanſeris? *Roſ.* quale animal hoc? nunquam audii
Vel nomen hoc Vulpanſeris. *Cerv.* Frater meus
Jam Logicus heri diſputans acerrime
Cum cæteris ſodalibus dixit, animal
Vulpanſerem eſſe, quod ſimul vulpes, ſimul
Sit anſer, & ſimul habeat roſtrum anſeris
Caudamque vulpis. *Roſ.* Tam peregrinæ feræ
Ovum tenetis arculæ incluſum? *Euſt.* cupis
Illud videre Vulpule? *Vulp.* hi pueri volent
Videre, ſed me nulla curioſitas
Impellit. *Cerv.* Agedum, ciſtulam pandas, rogo.
Herib. Caveto! delicata namque plurimum
Vulpanſerum ſunt ova, nec rigidæ licet
Exponere auræ. Dum redierimus domum
Mirabile ovum in arce ſpectandum dabo.
Euſt. Quin, ſi integrum ſervatur, & calidum manet,
Supponimus Gallinæ, ut exinde juvenis
Vulpanſer excludatur. -

Scena Sexta.

Prioribus accedit Mopſus.

Mopſus - - - - accurrite citi,
Mirabilis in hoc nemore ſtabulatur fera,
Vulpanſerem vocare, qui nôrunt, ſolent.
Euſtach. Eſt nempe, nullus dubito, hujus ovi Parens.
Herib. Perſequimur ergo. Vulpule, ſclopetum expedi.

Vulp.

Vulp. Eſt expeditum, dum jubes, herum ſequor.
Cerv. Sequamur & nos impigre. *Herib.* Euſtachi mane,
Et hîc quietus ſiſte; nam vehementior
Motus nocere poſſet ovo, quod tenes
In arcula. *Euſt.* Rogare ſi quidquam licet,
Concede, tecum perſequi liceat feram
Mirabilem, ſpectâſſe viventem juvat
Vulpanſerem. *Vulp.* Quam prodis iterum, quod nimis
Peccaveris in Adamo. *Herib.* An igitur Vulpulus
Non curioſus? non cupit Vulpanſerem
Spectâſſe? *Vulp.* curioſitas me nulla agit.
Hero tamen jubente venantem ſequor.
Heribert. Bene. * ergo trade vulpulo arculam, lubens
Manebit hîc, & interim blanda frui
Quiete poterit. *Euſt.* Accipe, & cautus tene.
Herib. Præque omnibus, ne ciſtulam aperias, cave;
Namque aura minima perderet Vulpanſeris
Tenerrimum ovum. repeto, ne aperias, cave,
Hanc ciſtulam, donec domum redierimus.
Euſt. Nos perſequamur impigre Vulpanſerem.

Scena Septima.

Vulpulus Solus.

Simulatio male ceſſit hac mihi vice.
Vulpanſerem vivum & ego ſpectâſſem lubens, Non

* Ad Euſtachium.

Non curioſitate ductus, at mera
Occaſionis gratia. Utar interim
Occaſione pariter obtruſa modò,
Vulpanſerem ſi nequeo ſpectare, attamen
Ovum videbo. - Sed vetat graviter comes,
Ne ciſtula aperiatur, ovum ne nocens
Corrumpat aura. - Modica tantum inſpectio
Brevi peracta tempore haud multùm poteſt
Ovo nocere. Audacter ad rem Vulpule.
Videamus. - at ubi clavis eſt? prô! quàm puer
Ineptus eſt Euſtachius, dedit arculam,
Clavem arculæ retinuit. An igitur mea
Deluſa ſit cupiditas adeò innocens?
Nam nulla curioſitas noxia poteſt
Pectus meum ſubire -

Scena Octava.

Perſonæ. Vulpulus, Ganſerellus.

Gans. - - - - Domine Vulpule!
Vulp. Sic denique bene loqueris. Edicito igitur,
Quid poſcis à me, quámve gratiam tibi
Conferre Dominus Vulpulus hodie poteſt?
Ganſ. A te nihil requiro; ſed clavem affero,
Euſtachius quam tradidit. *Vulp.* Tandem ſuum
Oblivioſus vidit errorem puer?
Gans. Spectare clavem hanc dixit illam ad arculam,
In qua latet mirabile ovum, neſcio,
Cujus feræ: Vulpanſerem, puto, vocant.

Fac, obſecro, videre me monſtrum hoc.
Vulp. Nimis
Es curioſus: & in Adamo te quoque
Peccáſſe prodis. Potius ad paſcua redi:
Namque hæc pererrat nemora hujus ovi
Parens,
Adultior Vulpanſer, animal omnibus
Anſeribus infeſtiſſimum, atque hinc dicitur
Vulpanſer. Hoc ne invadat & gregem tuum,
Caveto. *Gans.* Poſtquam videro, quod po-
ſtulo,
Statim redibo ad paſcua. Igitur arculam
Citus aperi. *Vulp.* Prohibuit hoc graviter
comes.
Gans Abſens procul non reſciet factum comes.
Oſtende tantum vel obiter, ſupplex rogo.
Vulp. Non, non. recede ad paſcua, in mora
grave
Periculum. Vulpanſerem puer time,
Ne rapiat optimum anſerem ex tuo grege.
Quid tunc Parens? væ Ganſerelli tergori!
Gans. Nil mihi timendum: nam anſeres mei
loco
Cuſtodit alius. *Vulp.* Et quis ille? *Gans.*
quem Comes
Jam deſtinavit, ruſticus quidam puer.
Oſtendito igitur, quod peto. *Vulp.* Fruſtra
es, Comes
Prohibuit. hunc accede, ſi vis, & refer,
Quàm ſim fidelis ſervus ad nutum obſequens:
Quàm curioſus neutiquam. *Gans.* * Vide-
bimus,
Quàm

* Abeundo tacite.

Quàm curioſus neutiquam ſit vulpulus,
Submitto pueros Italos. -

Scena Nona.

Vulpulus Solus.

\- - - . - ſine arbitro
jam ſum, cupitam poſſidet clavem manus.
Utamur ergo tempore, Eja Vulpule
Spectato mirabilia, at nulla tamen
Ex curioſitate. quàm prurit animus
Ovum videre vulpis, & ſimul anſeris:
Sed quis iterum importunus huc infert gradum?

Scena Decima.

Perſonæ. Vulpulus, duo Pueri Itali.

Pueri. * Schöne Spilewerck, ſchöne Raritát: wer ſeh will.
Will Herle Herle!
Placétne mirabilia videre? *Puer 2.* ò nihil
Spectare poteris pulchrius. *Vulp.* Ego neutiquam
Sum curioſus. Sunt in hac ſylva tamen,
Qui curioſitate correpti nimis
Hæc geſtient ſpectare. In hos inquirite.
Referetis inde pingue congiarium.
Puer 1. Jam cuncta ſpectavêre Juvenes nobiles
In nemore nobis obvii. *Puer 2.* Hos inter Comes
Unus vocatur, ſplendida indutus toga,

* Pueri Itali pronuntiant omnia accentu italico.

Pulchráque facie. *Vulp.* Scilicet & herus meus
Tam curioſus eſſe non horret. *Puer 1.* An herus
Ille tuus eſt? *Puer 2.* laudavit, & miris modis
Per machinam hanc ſpectata laudavit. Stipem
Quoque liberali contulit nobis manu.
Vulp. Quantum decebit pendere æris, ſi volet
Spectâſſe quisquam ſolus hanc per machinam
Spectanda? *Puer 1.* Quoniam ſervulus, & ex familia
Illius heri es, qui liberali jam manu
Stipem nobis porrexit, à te nil peto.
Gratis videre poteris. *Puer 2.* Huc veni, vide.
Vulp. Sed curioſitate me forſan trahi
Nolite credere. *Puer 1.* Applica oculum dexterum
Clauſo ſiniſtro. *Puer 2.* Attende, cernis Perſicum
Exercitum, ſine numero armatos viros,
Equites, Duces, peditésque. Cernis bellica
Tormenta fulminare *Bum*, *Bum:* Milites
Clamare: *Vive le Roy.* *Vulp.* Nihil certe audio
Clamoris. *Puer 2.* Utique clamo Perſarum loco
Et repeto *Vive le Roy.* *Vulp.* Anne forſan teſſera
Hæc militaris Perſici eſt exercitûs?
Puer 2. Noli loqui; ſed inſpice. *Puer 1.* En germanicus
Exercitus propinquat! horrendi viri
Et ferrei Centauri ut in Perſas furunt!

Horri-

Horribile fiſtula inſonat: *Puf: Puf.* Cadit
Strato Gaballo Perſicus Vezirius,
Et amputato capite clamat: *Mon Dieu*
O *Mon Dieu. Puer 2.* * Quietus inſpice, & caput
Oculósque fige in Machina. Cernes nova.
Puer 1. En Turciæ Imperator in Throno ſedet,
Præbetque vina acronia aulicis ſuis;
Hinc ſaltitantes ebrii turcæ pede
Fallente veluti (cerne) porcelli cadunt.
Puer 2. Sed jam ſat. Urget tempus, & in urbem vocat.
Valeto. *Vulp.* Grates debitas vobis. Bene
Valete pariter. -

Scena Undecima.

Vulpulus Solus.

- - - mira ſpectavi modò.
Multo tamen lubentius Vulpanſeris
Ovum videbo: rarius id aliquid mihi
Exercitu omni Perſico, Perſam licet
Non viderim unquam. - ** Sed ubi - vah! ubi caſtula
In ceſpite hoc depoſita? maledicti Itali!
Pueri clepaces! inſequor fures cito.

 Pars

* Interim ciſtulam in ceſpite ſepoſitam adrepenti Ganſerello tradit, qui illico cum illa auffugit.
** Vulpulus quærens ciſtulam circumſpicit.

Pars Secunda.

Scena Prima.

Perſonæ. Heribertus, Euſtachius, Roſindus, Cervinus, Ganſerellus cum Arcula.

Herib. Convictus utique Vulpulus plus, quàm ſatis
Eſt curioſitatis; at velim tamen
Strinxiſſe puerum fortius laqueo prius
A me parato, reddite illi ciſtulam.
Euſt. Sed quomodo reddetur, ut non ſentiat
Fraudem paratam? *Gans.* nec mea ablatam manu?
Herib. Docebo cuncta. *Cerv.* Sed tamen dignum foret,
Ut non nihil diutius puerum ſinas
Angoribus inhærere, queis premitur modo
Ob ciſtulam deperditam graviſſime.
Roſin. Ex curioſitate perdidit, luat
Hoc curioſitatis infame vitium,
Ut ipſus appellare conſuevit, tibi
Ipſi auſus inſultare. *Herib.* Nunc igitur ubi eſt?
Gans. Pueros adhucdum inſequitur illos Italos,
Quos nempe ſubductæ Arculæ fures putat.
Euſt. Imo, redeuntem conſpicio. *Her.* Recedimus,
Et è propinquo quid agitet ſecum puer,
Conſideramus. *Cerv.* Ludicram, credo, dabitur
Comœdiam ſpectare. Scena

Scena Secunda.

Vulpulus ſolus.

. . . . . Maledicti Itali!
Vah! non modo furunculos, ſed & magos
Hos credo pueros. Arculam artibus malis
Mihi ſuſtulêre, & artibus quoque magicis
Se reddere inviſibiles nôrunt. Nemus
Percurro fruſtra. Nullibi tenuiſſimum
Veſtigium deprendo. Maledicti Itali!
Sed Italos cur arguo? quare fui
Tam curioſus? debitas pœnas luo.
Quid nunc agam? ſine Arcula, & rariſſimo
Ovo ſubire Comitis aſpectum miſer
Non audeo. Nec dicere quidem, quo dolo
Vel à quibus ſim turpiter luſus, licet.

Scena Tertia.

Perſonæ. Vulpulus, Roſindus, Cervinus.

*Cervin.** Nullúmne vidiſti modo Vulpanſerem
Prætervolantem? læſus eſt certe, ſclopus
Non credo, quod aberrarit omnino. *Vulp.* Nihil
Vulpanſer ad me. *Cerv.* Vulneratam beſtiam
Plumæ indicant, quas utique conſpexi undique
Sparſas per aëra. *Roſ.* Scilicet plumas quidem
Aliquas ſclopetum belluæ excuſſit tuum.
Aſt ipſa ſalva evaſit, erraſti impigre.

 Cerv.

* Intra Scenam exploditur ſclopetum.

Cerv. Quin ecce! niſi me decipit oculus meus,
Hic conſidet. Conſpicio caudam. Vulpule,
Nil conſpicis tu in arbore hac? veni huc.
Vulp. Nihil
Vulpanſer ad me. *Roſ.* Video non caudam quidem
Sed anſeris latiſſimum roſtrum. Sclopum
Expedio, tu pariter tuum. *Cerv.* Mirabilis
Hæc beſtiæ figura! cernis Vulpule?
Vulp. Ad me nihil Vulpanſer. *Roſ.* Eja, jam fave
Diana! vah! rurſum avolat citiſſima.
Cerv. Perſequimur ergo. Dexterum latus tene,
Ego ſiniſtrum. Vulpulus medium occupet,
Moneátque nos, ſi viderit feram. * *Vulp.* Nihil
Vulpanſer ad me.

Scena Quarta.

Perſonæ. Vulpulus. Roſindus.

Roſind. - - - - Tetricus totus mihi
Videris. An fors tœdio implevit animum
Mandatum herile, à quo juberis hoc loco
Hærere cum ovo, atque velut Heſperius Draco
Sua poma cuſtodire, dum lætum nemus
Nos pervagamur? vidimus quoque interim
Ter mira mirabilia, integrum exercitum,
Veziriúmque Perſicum. An non & tibi
Pueri Itali occurrêre? *Vulp.* ut omnes Italos
Styx atra. *Roſ.* Quid? *Vulp.* Vulpanſerem ſequere tuum, Et

* Abit.

Et me mihi relinque. *Roſ.* Sit. Cuſtodiæ
Ovi relinquo. Cautus id ſerves. Comes
Periiſſe generoſiſſimum in ſtabulis equum
Minus doleret, crede, quàm rariſſimum
Ovum, unde ſperat excludi novum
Vulpanſerem fors poſſe.

Scena Quinta.

Vulpulus ſolus.

- - - - Generoſiſſimum
Equum doleret perditum minus Comes?
Me perditum! quo vota convertam miſer?
Mortalium habeo neminem, cui meum
Factum liceat aperire! quem in tantis queam
Anguſtiis conſulere. Maledicti Itali!
O qui tot aliis dextera mirabili
Res perditas reſtituis, Antoni, juva.
Ternas tuis honoribus adhuc hac die
Recito corollas, ſi arculam reddas mihi.
O dive mi Patrone! ne me deſeras.
Tantum vice hac me ſubleva! nunquam amplius
Ero curioſus, Perſicum nunquam amplius
Exercitum ſpectabo. Maledicti Itali!
O dive mi Patrone!

Scena Sexta.

Perſonæ. Vulpulus, Ganſerellus.

Gans. - - - Domine Vulpule!
An non tua hæc eſt Arcula, in qua ovum latet

Vulpanſeris? *Vulp.* quid video! cœlites boni!
Miraculum! Miraculum inſtantaneum!
Sed tu quis es? num divus ipſe Antonius?
Num Ganſerellus? & unde in has manus tuas
Hæc ciſtula? *Gans.* inter proxima vireta jacuit
A me reperta. *Vulp.* Nempe dum furunculi,
Quam ciſtulam ſperaverant auro gravem,
Senſêre vacuam, ſponte rurſum abjecerint.
Gans. Furunculi? num ciſtula à furum manu
Subducta? quanam hoc arte, vel quonam dolo?
Non ergo cuſtodire quàm cautiſſime
Hanc Arculam te Vulpulum decuit? *Vulp.* Nihil
Ultra intereſt, quî perdita ſit Arcula, mòdo
Reperta ſit feliciter. Suaviſſime
Mi Ganſerelle, debeò immenſas tibi,
Et habebo grates. Unicum hoc à te peto.
Per priſtinam inter nos amicitiam cave,
Ne ciſtulam à me perditam Dominus Comes
Sociive reliqui reſciant. Altum ſile
A te repertam quopiam abjectam loco.
Gans. Præſtabo, quod me poſcis; at tu, quod peto,
Pariter mihi præſtabis, ut nempe videam
Ovum latens Vulpanſeris. *Vulp.* Non Arculam
Vix dum repertam curioſus illico
Et cupidus inſpexiſti? *Gans.* utique clavis mihi

Ad

Ad Arculam hanc eſt nulla, quam ſolus tenes.
Aperi ergo. *Vulp.* Non licet. Comes graviſſime
Prohibuit hoc. *Gans.* Quid inde? nemo nos videt,
Prodétve. *Vulp.* Sit, quòd nemo nos pordat; tamen
Fidelis ego mandata Dominorum ſequor.
Tu Ganſerelle curioſus es nimis.
Gans. Sum curioſus, fateor, & Vulpanſeris
Ovum niſi monſtraveris, dicam omnibus,
Quod negligenter Arculam hanc ſervaveris,
Dum paſſus illam es abripi à furunculis.
Quin plura dicam de Italis pueris mihi
Jam nota. *Vulp.* Quæſo, obteſtor! *Gans.* Ergo ovum cito
Oſtende. *Vulp.* Ganſerelle, mi fratercule,
Majus aliquid præſtabo. Scis, qua gratia
Apud Heribertum polleam: quidquid peto,
A Comite facilis impetro. In bonum tuum
Authoritate hac utar, efficiam brevi,
Ut paſcuis extractus exemplo meo
Ex anſerum cuſtode Ephebus fulgeas
Secundus à me in arce, & uno Vulpulo
Sit Ganſerellus inferior. *Gans.* hoc ſi mihi
Præſtiteris, altum ſpondeo ſilentium.
Sed bene caveto, ne datam frangas fidem.

Scena Septima.

Vulpulus ſolus.

Quàm varia fata me rotant una die!
Quas conjicit in anguſtias ovum unicum
Vulpanſeris! jam cautius cuſtodiam,

Ne

Ne perdere queam denuo, Arculam
Appendo collo. Semper ob oculos meos
Verſetur. Agite jam, redite huc Itali;
Satis clepaces Vulpulus ludet manus.
Sed cœpta dudum compleamus denique.
Non curioſitate noxia trahor.
Mera ſciendi gratia inquirere juvat,
Cujus coloris, candidi, aut atri, an rubri
Vulpanſerum ſint ova. Sed caute tamen
Ne frigus intret, & noceat ovo, nimis
Adhuc tenello - - fallor? an quis ſe movet
Inter vireta? - - panicus tantùm timor.
Me nemo cernit, nemo. Tantùm ad rem
cito. - - -
Rurſus aliquid ſe movit, ùt puto, hic prope.
Væ Vulpulo, ſi quiſpiam è ſodalibus
Deprenderet. Ludibrio quanto forem
Omnibus in arce. Crederent omnes mera
Me curioſitate victum, crederent
Et Vulpulum peccâſſe primævo in Patre.
Nil video. Sunt tuta omnia. Arbiter procul.
Audacter anime! * vah! quid hoc? Vulpanſeris
Ovum interim animatum, atque jam excluſum avolat? - - -
Sed ſentio, ſum fraude deluſus mala.
Avicula eſt, acanthis. Hic laqueus mihi
Eſt poſitus ipſo à Comite. Captus hæreo.
Miſerrimum me! captus hæreo turpiter.
Avicula! ah cariſſima mihi avicula!
Redi, obſecro! deſcende! repete ciſtulam.
Avicula! ah cariſſima mihi avicula!

Amyg-

* Aperit ciſtulam, inde evolat avicula.

Amygdalum! ecce! amygdalum dulciſſimum,
Deſcende! vel transfigo te ſclopo meo.
Deſcende chara avicula, repete ciſtulam. --
Procul avolat. Vah! beſtia! pecus! bellua!
Ut unguibus te laceret accipiter ferox,
Unóque tractu devoret. - - Redi, obſecro
Avicula! ah chariſſima mihi avicula!
O beſtia! pecus! bellua! abſceſſit redux
Non veniet, & ego captus hæreo dolis
Luſus nefandis! quid ſodales? quid Comes?
Sum perditus, eo, proxima hac ex arbore
Suſpendo me. Valeto cum ſociis Comes.

Pars Tertia.

Scena Prima.

Perſonæ. Vulpulus, Ganſerellus.

Gans. Mecum mei parentis ingredere domum:
Auceps peritus alitum turmas alit,
Et generis omnis. Poteris ex his omnibus
Eligere, quod placuerit. *Vulp.* Hinc me longius
Diſcedere vetat, qui brevi hic aderit Comes.
Tu poſtulatam aviculam defer mihi
Acanthiden. Notâſtin' bene? *Gans.* quam optime:
Acanthiden optas, & quidem vivam. *Vulp.* citus
Talem affer, & citiſſime. Dignum tua
Induſtria à me Præmium, & laudem feres.
Gans. Eróne Ephebus proximus gradu tibi?

Vulp.

Vulp. Eris. *Gans.* Ergo propero, curro, feſtino, volo.

Scena Secunda.

Vulpulus ſolus.

Feliciter, dum colla jam laqueo paro
Inſerere, triſtis victima infamis necis;
Vis ingenî ſuggeſſit optatum dolum,
Quo mihi paratos perfide eludam dolos.
Aviculam ſimillimam illi, quæ prius
Ex ciſtula avolavit, accipiam modo
Per Ganſerellum, hanc arculæ includo locô
Prioris, & ſic nemo cognoſcet reum
Me curioſitatis. Imo me Comes
Laudabit, & mirabitur tantam fidem,
Et nunquam apertam ciſtulam. Socii quoque
Cum Euſtachio cogentur, inviti licèt,
Tandem fateri, Vulpulum in Adamo nihil
Peccâſſe. Qui me capere ſtuduit fraudibus,
Naſum capiet altiſſima turri Babel
Nihil minorem. Sed redit Comes nimis
Maturus. O ſi Ganſerellus huc cito!
Vis Ingenî tu Vulpulum interim juva.

Scena Tertia.

Perſona. Heribertus, Roſindus, Euſtachius, Vulpulus.

Her. Fruſtra ſumus. Vulpanſer evaſit manus,
Sclopósque noſtros. *Roſ.* Spem nimis cito abjicis,
Non exeamus nemore, niſi Vulpanſere
Ha-

Hærente noſtris retibus. *Vulp.* Dicis bene
Roſinde. Porro inſtate, præda, ſpondeo,
Optata tandem improvidè in caſſes ruet.
Her. Hæc Vulpulus ſuadere? non ergo amplius
Nos curioſitatis indignæ arguis?
Vulp. Indigna curioſitas non eſt feras
Venatione perſequi; ſed te prius
Roſinde, tenuit nimia curioſitas
Ovum videndi. *Herib.* Num ſatis caute interim
Theſaurus hic ſervatus à te Vulpule?
Vulp. Cautiſſime, ne perderem, collo, ut vides,
Hanc arculam conſtanter appenſam gero.
Euſt. Nihilne fractum, aut forſitan ruptum? nihil
Examinâſti? *Vulp.* tam curioſus non fui,
Ut tu fuiſſes. Arculam clauſam bene
Nunquid teneri juſſeras Domine Comes?
Herib. Id juſſeram. *Vulp.* Scis Vulpulum juſſa exequi.

Scena Quarta.

Prioribus accedunt Cervinus, & Mopſus.

Cerv. Repetimus arcem. Craſtina forſan die
Felicius Vulpanſeris venatio
Succedet. *Mop.* Ego noctem integram ſylvas vigil
Subibo. Si veſtigium novum feræ
Deprendero, moneбo vos ſummo maner.
Herib. Sic Mopſe facias. Interim arcem repetimus,

Ubi videndum ſingulis ovum dabo
Vulpanſerinum. *Roſind.* Non fero cupidus
moras,
Herib. Non nos ſequêris Vulpule? *Vulp.* ſe-
quar, vos modo
Præite celeres. Me decet lento gradu
Per ceſpites hos ingredi, ne quid mali
(Si forte durus falleret ſtipes pedem).
Patiatur ovum fragile. *Euſt.* Tecum ibo,
comes
Cuſtosque, ne fors obvius te mordeat
Vulpanſer. *Vulp.* Haud indigeo cuſtode.
Euſt. comitem
Admitte ſaltem. *Vulp.* Vade, vade --

Scena Quinta.

Accedit Ganſerellus.

Gans. - - - - - - Vulpule!
En quam petieras alitem, pulcherrimam
Acanthiden. *Mopſ.* Unde avicula hæc? *Vulp.*
curam exue,
Solvetur. *Herib.* Ad quid Vulpulus avem?
Vulp. tempori
Fallendo. *Euſt.* Cur Acanthidem? cur non
Parum?
Vulp. Acanthis avis eſt innocens. Pari nimis
Sunt curioſi, curioſos nòn amo.
Mopſ. Denarium ergo ſolve. *Vulp.* Submit-
tam tibi
Per Ganſerellum. Vos redite jam domum,
Me tardiore vos ſequi greſſu decet,
Ne forſan ovum fragile lædatur, nimis
Pro-

Properante me. *Mopſ.* Quis vanus inceſſit
timor?
Vulpanſerum ova tenera non ſunt. *Roſ.*
Siccine
Etiámne poterunt frigus, atque auram pati?
Mopſ. Omni absque læſione, quin mediis ſolent
Deponere illa nivibus, ubi novos volunt
Vulpánſeres excludere parentes. *Roſ.* Bene,
Sic ergo jam licebit aperire arculam,
Et antequam ſubeamus arcis limina
Recreare noſtra lumina aſpectu diu
Avidè cupito. *Vulp.* Prô! puer! quàm te nimis
Peccâſſe prodis in Parente Adamo. *Roſ.*
Ita eſt,
Peccâſſe me fatebor, at nunquid pari
Vos curioſitate ſinguli hac die
Tenemini? *Cerv.* Rogamus, Illuſtriſſime,
Rogamus omnes: ciſtulam aperiri jube.
Spectemus ovum, quo nihil rarum magis
Spectavimus. *Vulp.* Poſt veſperam redu-
ces domum
Spectabitis. *Roſ.* Rogamus, illuſtriſſime.
Roſ. & Cerv. Et ſupplices quidem rogamus.
Vulp. Ne, obſecro,
Ne cede votis, reſpue indignas preces,
Frangenda curioſitas turpiſſima.
Herib. Videtur eſſe innocua curioſitas,
Rejicere non ſuſtineo ſupplices preces.
Fac ergo, pateat arcula. *Vulp.* Obſecro
Herib. impero.
Vulp. * Ubi clavis? haud invenio clavem,
proxima

* Simulat ſe clavem invenire non poſſe.

Inter vireta perditam credo. Veni,
Juvaque Ganſerelle, clavem quærimus,
Roſ. Quæramns & nos. *Vulp.* Ite vos veſtras vias;
Nam Ganſerellus ſufficit ſolus mihi.
Herib. Subſiſtite omnes, teneo jam clavem alteram
Et hæc aperiet. Applica. *Vulp.* Non aperiet,
Sat ſcio, non aperiet. *Herib.* Applica. Impero.
Cervine, tolle ciſtulam. Clavem applica,
Quod Vulpulus recuſat. *Cerv.* * Invenio nihil
Ovi latentis. Vacua tota eſt ciſtula.
Herib. Quid Vulpulus ad hæc? ovum ubi Vulpanſeris?
Vulp. Oris mei calore jam excoctum interim
Parvum dedit Vulpanſerem, qui neſcio
Quonam avolârit. *Euſt.* Ciſtula clauſa undique?
Vulp. Hoc per foramen, cui inſeri clavis ſolet,
Nonne avolare potuit? *Herib.* inſolens puer,
Nugaris etiam? nonne deprehenſum vides
Crimen tuum? *Vulp.* fatebor, illuſtriſſime!
Multum fui ſollicitus, & valde anxius,
Ne fragilis hic theſaurus, ovumque tenerum,
Quod dixeras latere, fors à frigore
Arcam ambiente quidpiam damni ferat,
Ergo volebam involvere hoc melius, nova
Et mollia addens lintea: At vix ciſtula
Aperta fuit, erupit inde avicula.
Herib. O mitte nugas. Candide culpam tuam
Fateare: curioſitas ſola impulit,
Ut,

* Cervinus ereptam invito vulpulo ciſtam aperit.

Ut, me licèt vetante graviter, ciſtulam
Aperire non ſis veritus. *Vulp.* aliquid, non nego,
Fors curioſitatis acceſſit. *Herib.* Aliquid?
Tam pertinax defenſio omni gratia
Te reddit indigniſſimum. Inſolens puer!
Vulp. Fatebor, Illuſtriſſime, fatebor, reus
Sum curioſitatis hac tantum die.
Ignoſce! culpam deprecor humilis. *Roſ.* Igitur
Et Vulpulus peccavit in Primo Patre?
Cerv. Et curioſitatis atro crimine,
Turpiſſimoque ſemet adſtrinxit? *Cerv.* Viris
Indigna curioſitas; in fœminis
Toleranda tantum. *Euſt.* Vindica factum Comes.
Frangenda curioſitas turpiſſima.
Herib. Eſt utique curioſitas crimen grave,
Quæ ſpernere audet juſſa dominorum, & quidem
Juſſa graviter vetantia, & tanto ſimul
Conjuncta cum periculo, & damnis Heri.
Vulp. Damnum omne compenſabo, cerne aviculam
Simillimam per omnia illi, quæ prius
E ciſtula avolavit. *Herib.* Haud avem queror
Deperditam, ſed perfidè fractam fidem,
Et curioſitatis indignæ nimis
Pruriginem. Sed faxo, delictum luas.
Vulp. Ignoſce! *Herib.* Mopſe detrahe puero togam,
Veſtémque Ephebi & pileum. *Vulp.* ah domine Comes!
Ignoſce, te per dexteram obteſtor tuam.

Herib. Quæ te prius levavit ex grege anſerum
Et clarum Ephebi munus ingrato obtulit?
Vulp. Ah deprecor. *Herib.* Fac Mopſe, quod juſſi, ocyus.
Hunc pileum, togamque do nato tuo.
Sit Ganſerellus Vulpuli indigni loco
Poſthac Ephebus noſter; at nati tui
Locum replebit Vulpulus, & ad anſerum
Cuſtodiam remiſſus exemplo ſuo,
Quæ damna curioſitas ferat, probet.
Mops. O Domine mi Illuſtriſſime! O auree Comes!
Puer! oſculare dexteram Domini adeo
In nos benigni. *Gans.* exoſculor. Cedo tibi
Vulpule flagellum, pileum, & togam meam.
Herib. Hanc induas, ſic jubeo. *Euſt.* Quàm belle tuis
Manibus flagellum quadrat, & toga candida.
Gans. Pavêre te ſat anſeres, nunc anſeres
Rurſum viciſſim paſce. *Mops.* Sunt merita tua,
Forma, indoles, dotéſque cæteræ pares
Huic muneri. *Vulp.* Roſinde! Cervine! ah preces
Pro Vulpulo interponite! *Roſ.* ipſe Vulpulus
Pollet Heriberti gratia plus omnibus.
Cerv. Hic cuncta ſolus in ſuum Dominum poteſt.
Vulp. Sicne miſero inſultatis? Euſtachi! tuum
Ah ne ſodalem deſere. *Euſt.* Sodalem ſuum
Me Vulpulus vocare dignatur? tamen
Pediſſequus ſum, & ſervulus tantum infimus:

At

At Vulpulus jam Ephebus, & primus quidem,
Brevi futurus neſcio quàm præpotens,
Magnúsque Dominus, fortè vix Comite minor.

Vulp. Ah Ganſerelle! *Gans.* quomodo loqueris puer?
Dic: Domine Ganſerelle. Ephebus ſum novus,
à Vulpulo ſecundus. *Herib.* Age, Mopſe, puerum
Ad paſcua abduc, filii tui loco
Fac anſeres cuſtodiat. *Mops.* Veni, Patrem
In me novum propitia ſors dedit tibi.

Gans. Commendo puerum pariter. Hunc tractes, rogo,
Ut me ſolebas. Vulpule ſtomachum explica;
Etenim hodierna in cænula aſſatus bene
Et pinguis anſer ventre recubabit tuo.

Vulp. Ergóne ab arce excluſus æternum? *Her.* locum
Do gratiæ aliquem, Vulpule, licebit tibi
Redire in arcem, quando Vulpanſer novum
Excludet ovum. *Pueri omnes.* Jam anſeres inter vale.

Vulp. Funeſta curioſitas! quo me trahis!

O. A. M. D. D. V.
H. E. G.

LOCUSTÆ.

Argumentum.

Denſa locuſtarum agmina ex Borealibus Plagis emiſſa ſtragem, quam late agris, hortis & paſcuis intulerant, etiam Diilinganæ viciniæ, in quam jam penetraverant, minabantur. Cùm Generoſa Rudimentiſtarum Pubes, ut agros patrios, hortos præſertim à voraci Beſtiolarum dente defenderet, armata in aciem prodit, edocta tamen hoc hoſtium genus, utpote flagellum Dei, aliis armis expugnandum.

Scena ponitur in ſylvula,
Et paſcuis urbi vicinis.

Perſonæ.

Sterapius, Ædituus, & Ludi Magiſter Oppidi.
Jacobulus, Sterapii filius.
Agmen. Rudimentiſtarum Duce Alexandro.
Agmen. Puerorum Ruſticorum Duce Peryllo, Dynaſtæ filio.

Pars

Pars Prima.

Scena Prima.

Sterapius, Jacobulus.

Scena exhibet agros cum ſylvula, & in medio Sylvulæ ſacellum S. Magni.

Sterap. An non placet Jacobule hæc ara, & Sacra
Imago Divi Evergetis? nunquid benè
Ornata per me & ſplendide? *Jacob.* placet Pater.
Sed cujus eſt Imago? quem Divum refert?
Evergetem? num Sanctus eſt Jacobulus
Meus Patronus? *Sterap.* Sanctus hic *Magnus* ſolet
Vocari. *Jacob.* An hodiè feſta Sancto huic Eſt Dies?
Sterap. Non eſt quidem, ſed ruſtici tamen colent.
Et confluent ex omnibus pagis pia
Huc ſupplicantium agmina. *Jacob.* Erras O Pater!
Nam ruſtici, mihi crede, non ſunt tam pii.
Orare nolunt, feſta ſi non ſit Dies,
Atque rigidè præcepta. *Sterap.* Sed hodie docet
Neceſſitas orare. *Jacob.* Quæ Neceſſitas?
Sterap. Periculûm, quod imminet agris, paſcuis,
Hortisque. Jam viciniam invaſit ferox
Locuſta. Totum concutit pagum timor.

 Jacob.

Jacob. Locuſta terret? Veniat, hoc illam pede
Calcabo. *Sterap.* Fili falleris. Non unica
Locuſta nobis imminet. Tota agmina
Per aërem volitantia eripiunt diem,
Atraque totum nebula cœlum tegunt.

Jacob. Per aërem volitantia? an igitur volant
Etiam Locuſtæ? Saltantes ſæpius
Vidi, volantes nunquam. *Sterap.* Utinam
& hodie nihil
Videre cogereris. At Sanctus niſi
Hic *Magnus*, & Patronus adverſum genus
Omnesque ſpecies Vermium nobis opem
Promptam ferat, væ paſcuis, Hortis, agris.

Jacob. Etiamne in hortis poma depaſci ſolet
Genus hoc Locuſtæ? *Sterap.* Quidquid occurrit, rapit,
Et devorat. Jam redeo tantiſper domum.
Hanc interim clavem accipe, & ſi quis petat
Ædem ſacram, reclude; ſed cautus ſimul,
Ne forte furum quispiam irrepat, cave.

Jacob. Sed ſi Locuſta veniat? *Sterap.* In templo nihil
Quærit Locuſta. *Jacob.* Me tamen poſſet vorax
Invadere & diſcerpere. *Sterap.* Locuſtas ubi
Huc advolantes videris, ſacrum pete
Promptus ſacellum, & claude poſt te Januam.

Abit Sterapius.

Jacobulus ſolus. Periculoſa ſtatio! non pro me tamen,
Pro Matre tantum timeo; nam quid diceret
Mater, ſuum Jacobulum ſi perderet,

Locu-

Locuſta ſi - - * Sed quale murmur audio?
An fors Locuſtæ jam imminent? certè ſtrepunt
Dumeta. Video ſe, quid, neſcio,
Movere. Vah jam video viridis beſtiæ
Proboſcidem. Juva Pater! Pater!

Scena Secunda.

Jacobulus. Agmen Rudimentiſtarum, qui variis inſtructi ſunt armis.

Alexander. Puer
Quid clamitas? *Parmenio.* Quid metuis?
Philotas. Aut quis tibi malum?
Clitus. Non loqueris? *Jacob.* Eſſe vos locuſtas credidi.
Tympanotriba. Tu nos Locuſtas? *Jacob.* video jam pejus aliquid.
Latrunculi eſtis? *Beſſus.* Nos Puer? Latrunculos
Vocare? *Jacob.* vel furunculi ſaltem ſacrum
Vultis invadere ſacellum ornatum recens.
Furunculos admittere prohibuit Parens.
Alexand. Inſane! non Latrunculi aut Furunculi
Sed litteratæ Palladis Alumni ſumus.
Jacob. Hoc eſt ſtudentes? *Parmen.* Et quidem primæ ſcholæ.
Jacob. Ubi ergo veſtra Pallia? *Philotas.* Hæc mutavimus
His ferreis thoracibus. Calamum enſibus.

* Intra ſcenam auditur ſtrepitus Tympani.

Jacob. Cur iſta? *Clitus.* nempe publico Patriæ
Bono.
Alexand. Nil de Locuſtis ruſticis notum tuis?
Jacob. Intelligo. Cum ruſticis noſtris tremunt
Etiam ſtudentes, & piè, nolint, velint,
Orare diſcunt, nunquid hanc ædem ſacram
Diviq̀ue *Magni* ſupplices poſcitis opem
Contra Locuſtas, atque ne fors in via
Vos devorarent corpora thorace tegitis,
Et arma fertis? Januam Domûs Sacræ
Recludo promptus. *Alexand.* Sacra nihil ad
nos domus.
Pugnare, non orare nos hodiè jubet
Patriæ ſalus. *Jacob.* Pugnare? contra quem?
Parmen. Ambigis?
Contra imminentes Patriæ hoſtes, improbas
Contra Locuſtas. *Philot.* Paſcua, hortos,
& agros
Contra voraces beſtias defendimus.
Jacob. Gratiſſimam præſtabitis Operam Patri
Mihiq̀ue, ſi ne poma decerpat vorax
Locuſta, prohibeatis. Accedo ſacram
Ædiculam. Ferventer orabo, ut Deus
Felicitet veſtra arma, ne pomum unicum
Cedat voraci beſtiæ in prædam.

Scena Tertia.

Perſonæ, quæ prius excepto Jacobulo.

Alexand. Puer
Hic poma tantùm curat. *Clitus.* Et meritò
quidem.
Etſi Locuſtæ gramina atque paſcua

Abſump-

Abſumpſerint, nil inde nos patimur mali.
Non veſcimur non gramine, *Parmenio.* Id verum quidem
Sed pecora quid, ſi deficit gramen? *Clitus.* mea
Pace videant pecudes. *Philot.* Agros ſi Beſtiæ
Corruperint, carebimus nos panibus.
Clitus. De Panibus jam providere Filiis
Debent Parentes. Poma ſervemus modò.
Alexand. Servemus omnia, paſcua, hortos, atque agros,
De ruſticis & Civibus ſtudebimus
Benè mereri, & laudibus ſuper æthera
Efferri ab omni Patria. *Beſſus.* Laudes mihi
Non ſunt ſatis. Majora Socii poſcimus
Stratis Locuſtis prœmia. *Parmen.* Et quænam? *Beſſus*, nova
Et varia privilegia Senatus dabit
Victoribus. Quænam petenda ſint, modò
Deliberate. *Clitus.* Si meam ſententiam
Audire placeat, judico, Licentiam
Hanc poſtulandam, ut ſcilicet, quos dextera
Studioſa conſervavit hortos civium,
Intrare liceat omnibus ſtudentibus,
Et quos placuerit, legere fructus, ſeu Pyra
Seu Poma ſint, vel Ceraſa. *Amilcar.* Puerilia nimis
Hæc poſtulata. Poſcimus alia & viris
Et Litteratis digna Privilegia.
Ludi Magiſtro nempe ferulâ impoſterum
Non liceat uti in ullius noſtrum manus.

Corpus-

Corpusque. *Clitus.* Tecum ſentiò, â ferulæ metu
Et verbere omni liberi ſimus. *Omnes.* Placet
Sententia hæc. *Beſſus.* His aliud addendum tamen.
Vacatio petenda pariter. *Alexand.* Quamdiu?
Beſſus. Saltem puto per tres dies in qualibet
Hebdomade. *Philot.* Mihi ſententia hæc pariter placet.
Omnes. Placet omnibus. *Alexand.* Nunc ergo agamus ſtrénuè
Et in Locuſtas arma vibrantes procul
Pellamus è vicinia peſtem malam.
Parm. Puto jam propinquant, audio ſtrepitum, *Philot.* eſt ita
Dumeta commoventur. *Alexand.* Eja ergo Socii
Ad arma! ad arma! tundite, ferite, omnia
Mactate, cædite abſque miſericordia.

Scena Quarta.

Prioribus accedit agmen Puerorum ruſticorum, qui tribulis & falcibus &c. ſunt armati Duce Beryllo.

Beryllus. Quis nos ad arma provocat? vel cur? *Alexand.* ſumus
Luſi. Locuſtas credidi huc adrepere.
In has movemus arma. *Beryll.* Nos eadem trahit
Huc cauſa. Contra beſtias malas. Agros
Et paſcua ut tueatur, hanc legi manum

E ſub-

E ſubditis meis. *Parmen.* Quis es tu? *Mopſ.* filius
Noſtri Toparchæ eſt. *Menalc.* Et modò Dux bellicus
Contra Locuſtas. *Beryll.* Vultis & vos me ſequi?
Jungamus arma mutua. *Alexand.* Ducem non ſequor
Dux ipſe. *Philot.* Nec trivialibus pueris decet ut miſceantur litterati
Et ſemi Domini ruſticorum filiis. *Beryll. Menalc.*
Sic nos ſuperbi ſpernitis. Nullne ſunt
Inter ſtudentes ruſticorum filii?
Damœtas. Dic Tityrelle, quæſo, quis Parens tuus?
Tityrell. Parens meus ſit ruſticus, at ego tamen
Nil ruris oleo, quia latinè jam loqui
Incipio. Quid ſignificet *Amo*, *Doceo*, *lego*,
Intelligo. *Beryll.* Venite, me ſequamini.
Pueros ſuperbos ſinimus agere, quod volunt.
Nos cœpta noſtra perſequimur. *Beſſus.* Audes adhuc
Pueros vocare? *Damœtas.* An igitur eſtis jam viri?
Philot. Videbitis, qui ſimus hac adhuc die.
Menalc. Et vos brevì videbitis, quàm robore
Animoque præſtent ruſticorum filii
Infantibus ſtudentibus. *Amilcar.* Blaſphemias!
Nos litteratos dicere Infantes Puer?

Scena

Scena Quinta.

Agmen Rudimentiſtarum.

Alexand. Quidquid coaxat rana, nil Lunam movet.
Spernamus hæc nos dicta Puerorum, & minas,
Iráſque inanes. Et aciem inſtruimus. Corax
Lævam teneat. *Parmen.* Haud ampliùs vocor corax,
Mutavimus utique nomina, & Belli ducum
Celebriora aſſumpſimus, quò ſcilicet
Locuſta ſolo nomine audito tremet.
Alexand. Mutavimus, ſed memoriæ nondum omnia
Imprimere potui. *Gyas* ſingula hac charta tene
Deſcripta. *Alexand.* relego, dexteram elevet manum,
Quemcunque nominavero, ut charta hæc notat,
Legit. Primus ego Alexander; Ducem agminis decet
Hoc Nomen. *Tympanot.* Igitur eleva dextram manum.
Alexander pergit legere * *Clitus, Philotas, Parmenio, Beſſus, Dares.*
Ajax, Achilles, Hercules. Alexander ad Puerorum minimum. Túne Hercules?
Hercules. Sicut Dracones Hercules, ſic etiam ego
Sternam Locuſtas. *Alexander iterum legit Patro-*

* Singuli Pueri ubi nominantur, dextram levant.

Patroclus, *Amilcar*, *Gyas*, *Hector*, *Cloanthus*, *Hannibal.*

Alexand. Ubi eſt Hannibal?

Parmenio. Domum redivit conſtitutus ſignifer
De militari providet ſigno ſibi.

Philot. Hoc indigemus maximè. *Alexand.* Et quis nomina
Hæc ſcripſit? *Gyas.* hiſtorico ex libello deſcripſi ego.

Alexander. In prœmium ergo ſcriba caſtrenſis ſias.
Si milites id approbent. *Clitus.* Quod Dux probat,
Quis improbabit? *Omnes.* approbamus. *Gyas* Gratias
Pro munere; at ſtipendium quale mihi erit?

Parmenio Non ſufficit honor tantus? *Philot.* in Patriæ bonum
Pugnamus hodie, nulla poſcamus decet
Stipendia, niſi gloriam. *Beſſus.* Et per tres dies
Vocationem ſingulis hebdomadibus.

Alexand. Nunc ordinem, quo Exercitus pugnet, dabo.
Alam ſiniſtram nempe Parmenio regat:
Dextram Philotas. *Parmen.* Sed ubi, qui ductu meo
Ala in ſiniſtra pugnet, eſt Miles? *Alexand.* lege
Sis quatuor ê Præſentibus, Legat ſibi,
Totidem Philotas. Reliqua Pars Exercitûs
Formabit aciem mediam, & â nutu meo
Pendebit, & pugnabit exemplo meo.

Philot. Huc, qui bipennes ſuſtinent forti manu,

Acce-

Accedite. *Parmen.* Huc ſclopeta qui geſtant.
Ad dextram ſe collocant pueri cum bipennibus; ad lævam ſclopetarii.
Alexand. - - - - - Bene.
Et ordinatè elegiſtis, ita reſtant Duci,
Ut expedit, fortiſſimi, quos ferreus
Thorax tegit. *Beſſus.* Sed pro agmine medio decet
Servare robur militum, qualis ſum ego.
Ajax. In fronte ſed quis ſtabit? *Clitus* â tergo agmina
Quis claudet? *Alexand.* agmen claudere poteſt, ſi velit
Decurio. Ubi quis fugiet ex acie, ſtatim
Retrahere poterit baculus. *Decurio.* Ad nutum Ducis.
Alexand. In fronte ſtabit ſignifer. *Parmen.* Nullus tamen
Nec ſignifer nec bellicum ſignum hìc adeſt.
Philot. Hoc Hannibal mox afferet. *Alexand.* Modò brevi
Adeſſet. *Beſſus.* Abſque bellico ſigno probrum eſt
Movere in hoſtem. *Alexand.* Tympanotriba interim
In fronte ſtabit ſolus. *Tympan.* In fronte? Impetum
Solus Locuſtæ ſuſtinebo. *Clitus* Tympana
Ferociter pulſato, perterrita ſono
Locuſta nulla propiùs audebit tibi
Offerre ſeſe. *Alexand.* In ordine hoc ſtantes modò
Stringamus arma. *In medio ſtantes educunt gladios*

Ve

Vel acinaces præter Dareta. Alexand. Gladius an nullus tibi?

Dares. Vacationum tempore fuit; ſed modo
Illum nimis ſollicita ſubmovit Parens.
At hoc culinæ providè ereptum veru
Gladii vices ſupplebit. Imò ferrea
Hac ocrea calcabo centum corpora
Hoſtilia. *Clitus Elevat.* hæc Machæra quas
Strages dabit!

Philot. Et nos bipennes jungimus crucis in modum;
In nos Locuſtæ ſi irruant pleno impetu,
Se perforabunt. *Parmenio ad ſuos.* Veſtra in altum tollite
Sclopeta, ſi per æthera Locuſtæ advolant,
Laxate ſubitò. At anne glande plumbea
Onerata ſunt ſclopeta? *Cleanth.* Glans plumbea quidem
Mihi nulla; ſed ciceribus oneravi impigrè
Ad usque ſummum hanc fiſtulam. *Alexand.* Eſt acies modò
Rite ordinata. Dummodo advolet brevì
Locuſta. Nullam cernitis? *Clitus.* video nihil.

Amilcar. Audite ſocii, noſter aſpectus nimis
Terribilis eſt. Si viderit nos vel procul
Locuſta: non audebit in aciem palam
Prodire. Secedamus inter arbores,
Abſconditi exſpectemus adventum hoſtium:
Et dum locuſtæ tuta credent omnia,
Et involantes paſcua propinqua, atque agros
Ad ima ſe demiſerint, nos impetu
Subito opprimemus beſtias cautas malè.

Alexand. Quid judicatis? num placet ſententia?

Philotas. Mihi placet. *Parmen.* Nec diſplicet mihi *Omnes.* placet.
Alexand. Ergo Nemora ſubeamus. *Clitus.* Excubiæ tamen
Vigiles locandæ, & undique emiſſarii
Jubeantur explorare, ſi hoſtis imminet.
Alexand. Induſtria Ducis providebit omnibus.
Sequamini. Tu Tympanum promptus feri.

Pars Secunda.

Scena Prima.

Hector cum tubo optico longiſſimo.
Tympanotriba Tympanum pulſans.

Tympanot. Nullam Locuſtam conſpicis? *Hector.* nullam. Tua
Perterruêre Tympana. *Tympan.* Tamen credidi,
His attrahendas beſtias. *Hector.* Quin prodidit
Hic tympanorum fremitus hoc intra nemus
Exercitum latere. Non audet, propè
Accedere hoſtis. *Tymp.* Nonne tanto optatius,
Tremore ſolo victa ſi vertat ſolum
Locuſta? *Hector.* Quin nil pejùs aut nobis magis
Contrarium. Si Patriam nullus ferox
Invadit hoſtis, nulla nos manet ſeges
Victoriæ, ſpes nulla Privilegii,
Vacatio, atque immunitas â verbere,

Metú-

Metúque ferulæ quomodo exigi poteſt,
Si nulla merita in Patriam præceſſerint?
Tympan. Nullúmne meritum in Patriam, hoſtem Tympani
Fragore procul â Patriis hortis, agris,
Et Paſcius fugaſſe? *Hector.* Non tam ſplendida
Hæc actio eſt. Illuſtrior longè foret
Cædes Locuſtæ: quantis plauſibus tota reduces
Exciperet urbs, ſi pileis victricibus
Inferre nos cadavera Locuſtæ improbæ
Spectaret? *Tympan.* Haud deſpero. Se obvia dabit
Saltem aliqua turma hoſtilis, & gladium meum
Cruore purpurabit. Imò jam puto,
Videre me Emiſſarium hoſtilem. Tubum
Tuum applica. Quid cernis? *Hector.* Eſt tantum puer
Paganus.

Scena Secunda.

Hector. Tympanotriba. Mopſulus.

Tymp. ad Mopſul. - - An Locuſta tibi nulla obviam
Eſt facta? *Mopſ.* nulla, ſint Deo laudes, tamen
Multùm timueram, ne obvia mihi ſit aliqua,
Et quas in urbem ferre Gallinas Parens
Juſſit, vorax invaderet. *Hector.* igitur times
Tibi â locuſta? *Mopſ.* timeo Gallinis meis.
Tympan. Gallina longè major, atque fortior

Eſt, quàm Locuſta, ſe ſatis roſtro poteſt
Defendere ſuo. *Mops.* Falleris multùm puer.
Genus Locuſtæ, quale nobis imminet,
Fortiſſimum eſt, & unguibus pueros quoque
Diſcerpere poteſt. *Hector.* Unguibus? an ungues habent
Iſtæ locuſtæ? *Tympanot.* viſa num talis tibi
Eſt beſtia? *Mopſ.* equidem viſà non eſt, ſed alii,
Qui viderant, horrenda narrarunt mihi.
Hector. Quænam ergo? *Mopſ.* longam habent proboſcidem
Hæ beſtiæ ſicut Elephas, hiſce pueros
Comprendere, & per æthera aufferre aſſolent.
Tympan. Mentiris. *Mopſ.* Ego non mentior, tantum mihi
Relata refero. Ex ore dentes exſerunt
Sicut Dracones. Cornua ùt bos Helvetus
In fronte geſtant. Ignibus oculi micant.
Hector. Cornua Locuſtæ? *Tympan.* repeto; mentiris Puer.
Mopſ. Non mentior, mendacium vetuit Parens.
Tympan. Etiam Magiſter vetuit, & quoties tamen
Mentitus ego ſum ſtrenuè? *Mopſ.* Pace hoc mea
Feciſſe poteris. Sed ego nunquam mentior.
Accedo ad urbem, vendo Gallinas meas.

Scena Tertia.

Hector. Tympanotriba.

Hector. Quàm de Locuſtis mira narravit Puer!

Tympan.

Tympan. Credísne Puero? *Hector.* dubito ſaltem ſi unguibus
Et cornibus, proboſcide inſuper ferox
Hæc beſtia ſit armata. Non tutum ſatìs
Talem aggredi hoſtem. *Tympan.* Fateor, ego ſi crederem
Audita, forſan cautior per hoc nemus
Incederem; ſed nolo credere atque omnem metum
Excludo corde. Aſt ecce! rurſum ſe movet
Inter vireta quidpiam. Tubum applica,
An ſit Locuſta. *Hector poſtquam tubo circumſpexit.*
- - - - - video criſtas ſurgere
In fronte. *Tympan.* Fors & cornua & Proboſcidem?
Hector. Non non. Timorem ponimus. Tantum Hannibal
Huc advenit cum bellico ſigno redux.
Pluma virente pileum ornatum gerit.
Hanc ego Locuſtæ credidi criſtam. *Tympan.* Nimis
Nempè timidus vix non huic quoque pectori
Incutere, quamvis panicum poteras metum.
Hannib. Vix non? tamen trepidare toto corpore,
Pallere vultu, vix pedibus inſiſtere
Jam cœperas.
Tympan. Non pallor aut tremor fuit
Sed ira in hoſtem.

Scena Quarta.

Accedit Hannibal cum Vexillo, in quo depicta eſt grandis Locuſta cum alis Draconum.

Hector. - - - - - In tempore Hannibal venis,
Te junge nobis. *Hannib.* Reliquus Exercitus ubi eſt?
Tympan. In nemore ſeſe abſcondit. *Hannib.* Abſcondit? timet
Ergo Locuſtas? *Hector.* ne locuſta nos nimis
Timeat, timemus. Hinc in inſidiis Duces,
Totúsque ſtant Exercitus. *Tympan.* Sed quæ tuo
Depicta ſigno Imago? *Hannib.* non agnoſcitis,
Quod ſit Locuſta? *Hector.* Imaginem hoſtis præferes
Militibus? *Hannib.* Impugnare quem deceat, ſcient
Sic certiùs & hic ipſus aſpectus ferox
Accendat acre pectora. *Tympan.* Draconem refert,
Et non Locuſtam Imago. *Hannib.* Pinxit hanc tamen
Satis peritus Artifex. *Hector* Norit itaque,
Quæ ſit Locuſtæ forma? Jam credo magis,
Quod ruſticus narraverat nobis Puer,
Tales Locuſtas eſſe. *Tympan.* Pictores ſolent
Sicut Poëtæ fingere.

Scena

Scena Quinta.

Ex dumetis adrepunt 3. Pueri larvati, & veſtiti ſicut Locuſtæ cum alis Draconum &c. quales ſuperiùs fuerant deſcriptæ.

Hannib. - - - Attende, viridis
Quæ beſtia huc adrepit? *Hector.* unde? *Hannib.* non vides?
Hector. Planè eſt Locuſta, qualis in ſigno tuo
Depingitur. *Tympan.* Pulſabo tympanum, ut ſono
Territa recedat. *Tympanotriba pulſat tympanum.*
Hannib. - - Quin propinquat huc magis
Infeſta. *Tymp.* Cede beſtia, aut nos cedimus. Vah!
Hector. Surgit alia ex parte dextra. *Hannib.* Tertia
Etiam imminet. Juvate ſocii! accurrite!
Hector. Quin nos ad illos currimus. *Fugiunt omnes tres, relictis Tympano, Vexillo, & tubo; ſed tympanotribæ præſertim imminent, & fugam intercludere parant Locuſtæ larvatæ.*
Tympan. - - - Parcite, rogo,
Parcite animalia chara. Do victas manus, locum fugæ
Concedite. Ecce Tympanum cedo. *Auffugit.*

Scena Sexta.

Tres priores Pueri larvati, larvas ſuas detrahunt.

Thyrſis. Dolus ſucceſſit ex Sententia.

Mopſulus. Opima pariter ſpolia pueri territi
Victoribus ceſsêre. *Damætas.* Tympanum mihi
Expoſco, quod pulſare doctus ſum optimè.

Thyrſis. Ego militare capio ſignum.

Mopſulus. Ego fiſtulam. *Arripit tubum opticum*
Sed quomodò laxatur? os nullum, neque
Foramen ullum video. *Damæt.* Quin video duplex
Os fiſtulæ, ſed vitreum. *Mopſ.* Mirabilis
Hæc machina eſt. Longiſſimè extendi poteſt. *extendit tubum opticum.*

Thyrſis. Hoc bellici, quod credo, tormenti eſt genus,
Quod militaris lingua * ſerpentem vocat.

Mopſ. Monſtremus iſta ſpolia ſociis & Duci.
Quid factitandum porrò, ſtatuimus invicem.

Dum abeunt, pulſat Damætas tympanum: Thyrſis lætus vexillum vibrat. Mopſulus tubum opticum humeris impoſitum geſtat tanquam ſclopetum.

Pars

* Ein Feldſchlang.

Pars Tertia.

Scena Prima.

Agmen Rudimentiſtarum ex nemore prodit.

Alexand. Incedite in ſilentio & lento gradu.
Arma expedita ſint. Bipennes in latus
Vertite ſiniſtrum. Fiſtulæ dextrum petant,
Reliqui Machœras dirigant recta in obvium,
Si veniat, hoſtem. Denique omnes ad meos
Nutus parati, ſive pugnam vel fugam
Jubebo, ſtabunt. *Parmen.* Stamus ad nutum Ducis,
Et quamdiu ipſe ſteteris. *Philot.* In fuga quoque
Comites fideles erimus. *Alexand. ad Hannib. & Hectora.* - - Edicite modò,
Quo vos Locuſtæ obruere ſunt auſæ loco?
Hannib. Ex hac & iſta parte. *Tymp.* Denique undique
In nos feroces beſtiæ facto impetu
Irruere tentavêre. *Alexand.* Quem verò in locum
Arma timidi abjeciſtis? *Hannib.* Haud abjecimus,
Adhuc tenemus arma. *Tympan.* Tympanum tamen
Signúmque militare manibus excidit.
Parmen. Dic meliùs, iſta manibus excuſſit pavor
Ignavus. *Hector.* Aliter, credo, didiciſſes loqui,

 Si

Si Beſtiæ, quas vidimus, tibi obviæ
Factæ fuiſſent. *Philot.* Tres tamen tantùm, aſſeris,
Erant Locuſtæ. *Hector.* Pro tribus pueris ſatis
Sunt tres Dracones: námque erant Draconibus
Similes Locuſtæ. *Alexand.* Mittite hæc modò jurgia.
Inquirimus, quæ Exercitum totum juvant
Vexilla nempè & tympana. *Hector.* Atque præ omnibus
Tubum opticum; nam ſpectat ad Patrem meum,
Cui clanculum ſubduxeram. *Tympan.* Fruſtra omnia
Quæremus, abſtulêre ſecum Tympana
Hoſtes Locuſtæ. *Clitus.* Tympana Locuſtæ? nequit
Animalculum tam tenue ferre tympanum.
Tympan. Animalculum tam tenue? ſunt hæ beſtiæ
Me grandiores. *Alexand.* Ergo jam ſine Tympano,
Sine militari ſigno in aciem prodeat
Exercitus? *Philot.* Vah improbos! ſaltem priùs
In caſtra retuliſſetis hæc toti agmini
Inſignia neceſſaria. Parum Exercitûs
Interfuiſſet, ſi Locuſta puerulos
Tres devoraſſet. *Clitus* Tympanum pulſaſſem ego
Tui loco. *Beſſus.* Præferre militaria

Signa

Signa agmini potuiſſet hæc manus mea.
Hector. Vah, quid ego reſpondebo Patri ſine tubo
Domum redux? Væ tergori meo. *Parm.* Tua
Eſt culpa. Quare abjeceras fugiens tubum?
Hector. An debuiſſem exponere Locuſtæ caput,
Ut terga ſervem, animámque poſtponere tubo?
Alexand. Suſpendium meremini ignavi. Modò
Adeſſet aliquis carnifex.

Scena Secunda.

Prioribus accedit agmen Puerorum Paganorum.

Omnes Pueri *pagani adhuc intra Scenam inter ſonum tympani clamant* - - Victoria!
Victoria! *Beryll.* Jacet hoſtis. *Alexand.* â veſtra manu
Quis cæſus hoſtis? *Beryll.* ſpolia quem victum probant.
Pæana canite. Tympanum raucum ſonet.
Vexilla volitent læta. *Pagani omnes.* Jo Pæan! Jo
Pæan. *Hannib.* Quid hoc? quid video? vexillum hoc meum eſt.
Tympan. Hoc Tympanum eſt Exercitus noſtri. *Thyrſis.* Modò
Hæc noſtra ſunt. *Tympan.* Quo jure? *Beryll.* jure bellico
Parmen. Inter vireta nunquid abjecta omnia
Hæc reperiſtis? *Damæt.* & quis abjecit?
Tympan. Tuâ

Non

Non intereſt hæc ſcire. *Damat.* Scio tamen,
Nunquid Locuſtæ territi aſpectu fugam
Turpè capientes, Tympanum & grandem tubum,
Et militaria ſigna ceſſiſtis tribus
Viſis Locuſtis? *Hector.* Num tibi etiam forſitan
Viſæ hæ locuſtæ? *Mopſ.* Vidimus -- nec vidimus
Tantùm procul, nec panico fracti metu
Ut vos, pudendæ tergora dedimus fugæ.

Hannib. An ergo tales beſtias auſi aggredi?

Damæt. Quid ſimus auſi, hæc ſpolia nunquid ſat probant?

Hector. Mactaſtis ergo? *Thyrſis.* non quidem mactavimus,
Vivas tamen tenemus in noſtra manu.

Alexand. Captáſne? *Damæt.* vis ſpectare? - -

Hannib. Sat ſpectavimus.

Tympan. Socios tamen ſpectare terribiles feras
Juvabit, ut, quam denegant, habeant fidem
Dictis meis. *Alexand.* num vinculis ſtrictas benè
Tenetis? *Beryll.* haud eſt vinculis ullis opus,
Non evolabunt. *Hector.* Utique; námque alas habent,
Vidi ipſus. *Hannibal.* Etiam cornua. His captæ licet
Poſſunt ferire, & dentibus poſſunt adhuc
Mordere.

Scena

Scena Tertia.

Redeunt 3. Pueri cum larvis prioribus & Vexillo, Tympano, & Iubo.

Beryll. - - - Cernis beſtias pueris tuis
Adeò timendas? Ecce! quàm cicures modò.
Tympan. Sic literatis Ruſticorum filii
Illudere auſint? *Mopſ.* Ruſticorum filios
Sic literati metuitis? *Parmen.* qualis pudor!
Sic vos inani caſtra turbaſtis metu?
Quale intuliſtis agmini toti probrum
Fugâ pudendâ? *Hannib.* Si priùs notum mihi
Fuiſſet, eſſe ruſticos tantum ſub his
Larvis latentes, neutiquam præceps fugæ
Memet dediſſem. *Hector.* Quin ego veritus nihil
Falſis Locuſtis larvas detrahere, manu
Audace puerorum ora fregiſſem impigrè.
Tymp. Ego his bacillis Tympani loco benè
Diverberaſſem ruſticas pelles. *Damœt.* Age,
Et ſi audeas, congredere, mox videbimus.
Alexand. Audite! veniam dabimus, & vobis dolum
Licet improbum ignoſcemus. At reddite modò
Ablata, militare ſignum, & Tympanum.
Hector. Et præ omnibus meum mihi reddite tubum.
Damœt. Nil reddere ſolent Milites. *Hector.* Sed vos milites
Non eſtis. *Mopſ.* Hodie tam benè quàm vos ſumus

Pro

Pro patria in armis. *Alexand.* Ergò pro
Patria bene
Pugnate, non in Patriæ cives. *Parmen.*
Sumus
Nos civitatis jure jam Incunabulis
Donati, & urbis civium Primarii
Omnes futuri. *Alexand.* Cónſul eſt Pater
meus,
Diſcite vereri filium. *Beryll.* Pater meus
Non civis, ât Dynaſta totius oppidi,
Diſcite vereri filium. *Alex.* Capta ſpolia
Aut reddite, aut eripimus armis. Stringite
Commilitones arma. *Beryll.* Tympanum
feri.
Omnes. Ad arma, ad arma.

Scena Ultima.

Accedit Sterapius cum Lucerna. Jacobulus ex ſacello proſpiciens.

Sterap. - - - - Quis tumultus ad ſacri
Limen ſacelli? *Beryll.* Ad arma provocant
meos
Iſti ſtudentes. *Alexand.* Reddere ablata
improbè
Nobis recuſant Tympana hæc Pueri tui.
Damœt. Non improbè hæc abſtulimus, ipſi
præ metu
Hæc omnia abjeciſtis. *Sterap.* Abſiſtite
modò
A jurgiis puerilibus. Jacobule!
Jacobule huc! * Accende in aris cereos,
Jam

* Prodit è Sacello.

Jam ſupplicantium agmina propinqua undique
Huc advolant. *Jacob.* Sed quid Locuſta? num jam agris
Hortisque pulſa, nulla decerpſit vorax
Ex arbore pyra? *Sterap.* Neutiquam pulſa, imminet
Jam propiùs, inſtar nubis atratæ tegit
Viciniam omnem. *Beryll.* Occurrimus igitur hoſtibus
Patriæ locuſtis, & abigemus agris procul.

Alexand. Ablata ſi reddatis, & nos jungimus
Noſtram cohortem agmini veſtro, licet
Vix literatos deceat inter ruſticos
Pugnare pueros, publico tamen bono
Authoritatem propriam poſtponimus.

Beryll. Non indigemus agmine alieno. Satìs
Soli domandis hoſtibus pares ſumus.

Sterap. Queîs hoſtibus! *Ibyrſis*, qui paſcuis, hortis, agris
Stragem minantur ultimam. Hinc armavimus
Nos in Locuſtas. *Sterap.* Simplices Pueri nimis!
Arma in Locuſtas ſtringere? flagellum Dei
Hæ beſtiæ ſunt. Numine irato ruunt
In noſtra prata. Nulla vis hominum poteſt
Pugnare cœlo. *Parm.* Beſtiæ flagrum Dei?

Sterap. Nunquam audiſtis, quomodo Ægypti plagas
Miſſis Locuſtis puniit quondam Polus?

Philot. Ut memini, in hiſtoriæ libello quidpiam
Huic ſimile legi. *Sterap.* Pharao cum toto ſuo
Exer-

Exercitu non potuit haſce beſtias
Opprimere; vos confiditis puerilibus
Armis fugandas? ponite Pueri citò
Flagella frumentaria, & furcas, & has
Falces, & Inſtrumenta ruſtica omnia.
Non his Locuſta pellitur. Sacras manu
Stringite coronas. Supplices aris pedes
Adſternite, piis precibus hunc Evergetem
Noſtrum invocate. Sanctus hic *Magnus* poteſt
Placare. Mox ſequentur & veſtri Patres,
Et has ad aras ſupplices pro paſcuis
Hortis & agris vota concipient pia.
Præite vos tantum cito! Sic impero
Ludi Magiſter. Imperat & idem tuus
Dominus Parens Toparcha. *Beryll.* Mandato Patris
Obediendum eſt. Imus ad ſacras ædes.
Alex. Nos quid ſtatuimus? *Parmen.* certè ego non audeo
Pugnare cœlo. *Philot.* Nec ego, ſi flagrum Dei
Sint hæ Locuſtæ, exponere his tergum meum
Velim. *Clitus.* Domum recedimus. *Omnes.* Recedimus
Alex. Sed reddite priùs Tympanum, & ſignum, & tubum.
Ludimagiſter! impera hoc pueris tuis.
Sterop. Id imperabo, ſiquidem mecum priùs
Sacrum Sacellum adibitis, & pios ibi
Pro Patriæ ſalute fundetis preces.
Alex. Oremus ergo! *Beſſus.* ſed Victoriæ ſeges
Fructúsque & Privilegia & Vacatio
Ubi manebunt?

PAS-

Digitized by Google

PASSERES.

Argumentum.

Retulit nobis Vir fide dignus, ſe Egræ in Gymnaſio vidiſſe Adoleſcentulum ſtudioſum, capiendis avibus, quàm colligendis litteris magis intentum. Unde in eam delapſus eſt inſaniam, ut crederet geminos Paſſeres in capite ſuo nidulari. Ægrum hunc ſcena noſtra ſuſcipit ab hac inſania, & ſimul ab inſano aucupii amore liberandum.

Scena figitur Egræ in Contubernio Paſſerelli.

Perſonæ.

Palladius, Moderator Contubernii.
Paſſerellus.
Philindus, Paſſarelli frater.
Melindus, Contubernalis.
Evariſtus, } Paſſerelli
Geneſius } Condiſcipuli.
Mopſulus, puerulus Ruſticus.
Chironellus, Chirurgi Filius.
Giſpilus, puer perſonatus Agyrtæ.

Pars Prima.

Scena Prima.

Palladius ſolus. Luſtrat pulpitum Paſſerelli, & ex illo extrahit varia Inſtrumenta capiendis avibus deſtinata.

Qualis Puer! non poterit â nugis ſuis
Tandem abſtrahi? Nil cogitat, nil ſomniat,
Noctu, diuque volvit in animo nihil,
Niſi quomodò novas Avibus Inſidias ſtruat.

Scena Secunda.

Accedunt Philindus, & Melindus è Dormitorio prodeuntes.

Pallad. Jam ſurgitis, cùm quinta necdum hora ſonuit?
Philind. Somnum expulit ſerena Tempeſtas Poli
Melind. Deambulare, ſi licebit, malumus,
Quàm dormientes ſtertere in lecto pigro.
Pallad. Nihil vetabo, exire ſi vultis domo,
Et libera aura perfrui. At frater tuus
Ubi eſt? *Philind.* Adhucdum dormit. *Melind.* Exiret utique
In nemora Paſſerellus, & promptiſſimè,
Ut retia avibus tenderet, namque unicum
Illius hoc eſt gaudium, ſtudium unicum.
Niſi omnia inſtrumenta, fiſtulæ quoque,
Queis

Queis doctus Auceps decipere Paros ſolet,
Per te procul ſubmota jamjam heri forent.
Pallad. Submota, fateor, credidi hæc per me omnia,
Modò tamen videte totum pulpitum
Novis refertum machinis. Ecce cavea
Paris parata. Dexteræ recens labor
Necdum abſolutus. Miror hæc unde Puero.
Philind. Miraris? ipſe Frater hanc manu ſua
Conficere caveam cœpit. *Pallad.* Et quando nam heri
Sub veſperam his reſtabat ex nugis nihil.
Philind. De nocte ſurgens (ipſus audivi) pede
Tacito cubili exivit, & licèt diu
Vigilaverim, exſpectare non potui tamen
Donec repeteret lectulum. Noctem integram
Impenderat laboribus nugacibus.
Melind. At ſi jubetur litteris vel unicam
Dare noctis horam, impoſſibile puero foret.
Pallad. Et hoc quid? adverto volucres in
Pulpito. *aperit ciſtulam in pulpito incluſam, undè evolant gemini paſſeres.*
Melind. Sunt paſſeres. *Pallad.* Num paſſeres etiam capit?
Nutritque Paſſerellus? *Melind.* Avium de grege
Quidquid poteſt deprêndere, prehendit puer.
Pallad. Benè eſt. Reponite omnia loco priſtino
Dum Paſſerellus ſurgat. *Philind.* Et quid poſtea?
Pallad. Docebo puerum poſtea, & ſi quid valet
Hæc dextera, dedocebo tempus perdere,
Dignam aucupe iſto fiſtulam, & caveam paro.

Scena Tertia.

Philindus. Melindus. Paſſerellus adhuc intra ſcenam.

Philind. Utinam doceri, vel dedoceri denique
Queiscunque poſſet artibus Frater meus,
Ut ſapere tandem inciperet. *Paſſerellus intra Scenam.* - - - Hinc procul! procul!
Melind. Quis clamor iſte? *Paſſerellus adhuc intra Scenam* - - - abeſte, abeſte animalcula
Nimium impudentia. Capiti meo
Abeſte! *prodit nocturna toga indutus, & oculos tergens.* *Philind.* Quænam animalcula hæc capiti tuo
Infeſta? *Paſſerell.* geminos Paſſeres caput meum
Senſi involaſſe. *Melind.* Somnium illuſit tibi.
Philind. Sed non inane: nam nimis verum eſt, caput
Totum avibus occupari, & hoc dudum quidem.
Paſſerell. Credámne dudum? nil tamen ſenſi, niſi
Hac nocte. *Philind.* Litterariô hôc annô integrô
Nil cogitas, nil ſomnias, agitas nihil
Niſi de volucribus. *Paſſer.* Lætius nihil quoque
Excogitari poterit. O quod gaudium
Spectare, quomodo retia involent aves,
Parique dulci fiſtula illecti ruant
Ligni doloſi præda. *Melind.* Gaudium hoc heri
Præceptor omne ſuſtulit, dum ſuſtulit

Tibi

Tibi omnia Inſtrumenta, & omnes fiſtulas,
Quibus ſolebas capere non nocuas Aves.
Paſſer. Suſtulerit Inſtrumenta; ſed non hanc manum
Aufferre potuit, quæ novas ſibi machinas
Novit parare. *Aperit pulpitum, & inſpicit, an adſint Inſtrumenta aucupatoria. Ciſtulam etiam expromit, in qua paſſeres incluſerat.*
- - - Credidit etiam ſe aves
Omnes heri dexterrimè è caveis meis
Jam ſubmoviſſe, ſed ſolertiâ meâ
Deluſus eſt, & ſtrenuè. Surgite mei
Paſſerculi. Proſpicite tantiſper. *Aperit nonnibil ciſtulam, ubi nullos paſſeres videns.* Quid hoc?
Vosne reſeraſtis ciſtulam hanc, & liberos
Feciſtis avolare paſſeres meos?
Philind. Quid paſſeres ad nos tui? *Melind.* nec extimo
Digito tetigimus ciſtulam, vel pulpitum
Ubi latebant. *Paſſerell.* Quò igitur avolaverint
Hac nocte ſubito? *Melind.* Quæris? in caput tuum
Nonne ipſus de hoc conqueſtus es paulò antea?
Paſſer Ita eſt, priùs ſenſi, atque adhucdum ſentio
Hinc inde ſaltitantium in cerebro pedes
Paſſerculorum. Tintinantes quin mihi
Audire videor. *Philind.* Stultus es. Quomodo caput

Intrare poterunt paſſeres? *Paſſer.* nempe ſoleo
Dormire apertis faucibus, & ore patulo
Latumque hiante. facilis hinc aditus fuit
Paſſerculis per ora. *Philind.* Stomachum forſitan
Subire per patentia ora paſſeres
Potuêre, non caput. *Paſſer.* Sed è ſtomacho in caput
Aſcendere potuêre. *Philind.* Quâ demum viâ?
Melind. Nunquam audiſti aſcendere ê ſtomacho in caput
Multos vapores noxios? per hanc viam
Credo penetrâſſe paſſeres. *Paſſer.* Certè caput
Meum occuparunt.Sentio aliquid ſe movens,
Cerebrumque turbans. *Philind.* utique turbatum tibi
Valdè eſt cerebrum avibus. *Paſſer.* At quonam modo
Ejicere rurſus potero? nam quamvis amo
Omne Genus avium, non tamen velim
In capite circumferre vivos paſſeres.
Melind. Te dormiente, ùt dixeras, caput tuum
Priùs involarunt paſſeres, & forſitan
Te dormiente rurſus exibunt. *Paſſer.* Bene
Ratiocinaris repeto lectulum, caput
Feſſum quiete recreo. Vos ſi paſſeres
Videritis evolare de cerebro meo
Monete me. *Diſcedit Paſſerellus. Melind.*
- - ridicula Imaginatio!
Intraſſe volucres in hominis vivi caput.

Philind.

Philind. Ridere tu quidem poteris, at non ego.
Melind. Cur non?

Scena Quarta.

Palladius, Philindus. Melindus.

Pallad. - - Quid agitat Paſſerellus? anne adhuc
In lectulo hæret? *Philind.* adfuit modò, ut ſuos
Inviſeret paſſerculos. *Pallad.* Quid verò ait?
An avolaſſe vidit? *Philind.* Et quidem ſuum.
Hos involaſſe credit inſanus caput;
Et adhuc ibi ſaltare per cerebrum ſuum.
Melind. Ridicula nunquid hæc Imaginatio?
Philind. Mihi non videtur ridicula: nam niſi brevi
Deponat illam frater, omnino, timeo,
Stulteſcet. Age Præceptor, hoc puero exime
Delirium. *Pallad.* Quin hoc fovere pergimus.
Credat Puer ſcatere volucribus caput.
Philind. Cur iſta? fratremne redigere ad inſaniam
Studebis ipſe? *Pallad.* Inſania hæc ſanum poteſt
Efficere. Ubi eſt modò? *Philind.* expetiit lectulum.
Melind. Se dormiente credit Paſſeres ſuum
Caput involâſſe. Sperat hos ipſos modò
Se dormiente rurſus ê capite procul
Hinc avolaturos. *Pallad.* Sequamini. modum
Docebo, quô delirium deliriô
Sanetur, atque impoſterum diſcat puer
Amata nimis aucupia cunctaſque volucres

Damnare, fugere, horrere. *Melind.* Si hoc effeceris,
Miraculum non infimæ claſſis id erit.
Pallad. Adeſſe vellem quoſpiam ê Sodalibus
Et Paſſerculi familiaribus. *Melind.* Statim
Vocabo, quoquot juſſeris. *Pallad.* tales voca,
Qui fingere & ſimulare norint ſtrenue.
Hi ludicræ, quam adorno, ſcenæ ſervient.
Philind. Sicne Moderator ipſe Diſcipulum ſuum
Exponere parat riſui Sodalium?
Pallad. Ut ſapiat ictus.

Pars Secunda.

Scena Prima.

Philindus. Melindus portans in ſacculo clauſum Paſſerem vivum.

Melind. Sequare, ſcenæ ludicræ initium damus.
Hæréſne? *Philind.* fateor, timeo, ne hæc Comœdia
Non ſapere fratrem doceat, ùt vos creditis,
Sed graviùs inſanire. *Melind.* Ponas hunc metum.
Palladius eſt prudentior. Satis ſciet,
Quem ſit daturus Exitum ſcenæ. modò
Quæ monuit, exſequamur. *Philind.* An verò putas,
Paſſerculus, quem ſacculo hoc clauſum geris,
Agétne pariter ritè perſonam ſuam?
Melind. Jam ſat probavi. Dummodò digito premam

Mox incipit clamare. Non audis? *Philind.*
Bene eſt,
Jam Paſſerellum accedimus.

Scena Secunda.

Philindus. Melindus. Paſſerellus.

Paſſerell. - - - - - - An Paſſerculos
Vidiſtis evolare de cerebro meo?
Philind. Nil vidimus nos. *Paſſere.* Nec ego, ſed tamen nihil
Vel ſentio, vel audio amplius meo
In capite ſe movere. *Melind.* Nempe dormiunt
Paſſerculi. *Philind.* Quaſſa caput, ſed fortiter.
Melind. Fortius adhuc, ut excitentur paſſeres.
Nihilne ſentis? *Melindus facit clamare paſſerem.*
Paſſere. - - Audio, planè, audio
Et tintinantes audio clariſſimè,
An non pariter audiſtis? *Melind.* Audio nihil
Et tu Philinde. *Phil.* pariter audio nihil.
Paſſere. Caput admoveto propius ad caput meum.
Melindus iterum facit clamare Paſſerem.
Philind. Nunc audio. *Paſſere* Melinde tu pariter
Proba. *Melindus clam tradit paſſerem Philindo. & caput ſuum capiti Paſſerelli admovet. Philindus facit clamare paſſerem.*
Melind. Clariſſimè percipio voces paſſerum,
Omnino nidulantur in cerebro tuo.
Philind. Miſerande frater! *Paſſere.* quid adeò miſerum vocas?

Philind. Quid, quæſo, fiet, ſi in capite diutiùs
Paſſerculi ſtabulentur, & famelici
Cerebrum tuum aggrediantur? O quantus dolor
Miſerum opprimet. *Melind.* Quin gravius imminet malum.
Nam quid cerebro penitius abſumpto, putas,
Tandem futurum? quid homo ſine cerebro? nihil
Contemptius, nil vilius dici poteſt.
Philind. Quin abſque cerebro vivere diu non potes.
Mors imminet propinqua. *Paſſere.* Quanto concutis
Pavore pectus.

Scena Tertia.

Philindus. Melindus. Paſſerellus. Evariſtus.

Evariſt. - - Anne vera, quæ audii
De Paſſerello quod capite circumferat
Vivas aves? *Philind.* heu! vera ſunt iſthæc nimis.
Evariſt. Condoleo ſanè plurimum. *Paſſere.* Quid juvat,
Si condoles? remedia potius ſuggeras
Pellendo, quod graviſſimè premit malo.
Evariſt. Occurrit aliquid. Sæpiùs Parens meus
In capite muſcas plurimas ſentit. *Melind.* Parens
In capite muſcas? *Evariſt.* omnibus domeſticis
Matrique moleſtiſſimas. *Philind.* Et quomodo
Has capite demum ejicit. *Evariſt.* Sæpiſſime
Ipſus

Ipſus notavi: naribus plena manu
Inſpergit aliquid pulveris. Tum, neſcio
Quonam liquore guttur aliquoties lavat,
Pelluntur omnes ocyus muſcæ, & caput
Totum ſerenum redditur. *Philind.* Muſcas quidem
E capite poſſe detrahi in nares queo
Non difficulter capere; ſed num paſſeres
Credamus etiam per tam anguſtum tramitem
Penetrare poſſe? *Melind.* Naſus hodierna die
Eſt Paſſerello ampliſſimus. *Evariſt.* Et vis pulveris
Naſi meatus ampliores efficit.

Paſſer. Et qualis iſte pulvis? an fortè pyrius?
Hunc nam que metuunt paſſeres, ſtatim avolant
Ubi nitrati pulveris nares odor
Afflavit. *Evariſt.* Alius pulvis eſt Patri meo,
Exinde providè abſtuli, at tantum parùm.

Paſſerell. Mihi, obſecro, cede aliquid hoc ex
Pulvere. *Evariſtus pyxidem apertam offert Paſſerello, qui exindè ſumit.*

Philind. Tabaccus eſt. *Paſſer.* Tentemus. *Evariſt.* Attrahe fortius - -
Adhuc ſemel. *Paſſer.* Jam ſentio aliquid ſe movens
In capite, quin & naribus. Ubi ſtrophiolum?

Evariſt. Meum accipe, ſimul patere, te dextrè adjuvem
In extrahendis avibus ê naſo tuo.

Evariſtus Paſſerelli naribus applicat ſtrophiolum ſuum, quod tamen non dimittit ê manibus. Paſſerellus aliquoties ſternutat. Tum Evariſtus inſpecto ſtrophiolo En!

En! quam potens hic pulvis eſt. Plumas vides.
Aves ſequentur. Et quid ſtraminis ſimul
Prodivit? unde ſtramen in caput tuum?
Paſſerell. Hoc intulêre paſſeres. Nidum parant
Meo in cerebro ſtruere. *Philind.* Præveni citò
Tantum malum mi Frater. *Paſſerell.* Ergò adhuc ſemel
Sumam Tabacum. *Evariſt.* Vacua jam pyxis mea
Paſſere. Domum ergo redeas, & Patri plura aufferas
De tam potenti pulvere. *Melind.* Ego non ſuadeo.
Nam copia hujus pulveris non pandere
Sed obſtruere ſolet meatus narium.
Evariſt. Verum eſt, fatetur ipſus hoc Parens meus.
Melind. Sic ægriùs penetrare poſſunt paſſeres,
Sed permanentes ſemper in cerebro tuo,
Et nidulantes avibus implebunt caput.
Philind. Ergone frater vivum eris aviarium?
Evariſt. Stramen etiam, quod nidulantes paſſeres.
Conferre conſuevêre, complebit caput.
Quid indè fies? nempè ſtramineum caput.
Melind. Et abſque cerebro: namque cum pullis ſuis
Totum brevi paſſerculi abſument ſenes.
Philind. Cadésque, cerebro penitûs abſumpto, necis
Victima propinqua, & forſan hac adhuc die
Paſſerell. O Paſſeres! maledicta natio! paſſeres
Quan-

Quantas heii me redigitis in anguſtias?
Ergone vos propter ero ſtramineum caput,
Et absque cerebro, & victima propinquæ
necis?

Scena Quarta.

Prioribus Perſonis accedit Palladius.

P*allad.* Cum Paſſerello quid agitur, an adhuc
occupant
Ejus cerebrum Paſſeres? P*hilind.* utique occupant,
Et devorant, atque vacuum cerebro caput
Dum nidulantur, ſtramine illato replent.
P*allad.* Miſerande Puer! P*aſſer.* Ah Domine
Præceptor malo
Remedia, quæſo, ſuggeras. P*allad.* Gravius
malum hoc
Humana ſuperant remedia. Hæc namque à
Deo
Inflicta pœna eſt. Nimius in volucres amor
Non litterarum ſtudia tantùm, ſed ſacra
Etiam omnia, omnes cæteris ſuetas preces,
Atque opera ſancta, & omne pietatis genus
Negligere te coegit, & contemnere.
Non in ſcholis modò, ſed in templis quoque
Nil cogitabas, mente tractabas nihil,
Niſi ſtruenda retia aviumque caveas.
Punivit hanc ſocordiam juſtus Polus,
Quodque per aves peccaveras, per aves luis,
Nonne hæc fateris ipſe? P*aſſ.* fateor, ſed
tamen
Terribilis eſt hæc pœna. P*allad.* Sed juſtiſſima

Aptiſſima ad correctionem plurium
Tibi ſimilium. *Philind.* Fateor, Exemplum nimis
Tragicum movet, terretque me, nolo per aves
Attrahere tantam miſeriam in caput meum.
Melind. Aucupia credidi hactenus lætiſſima
Ipſusque amavi plurimum; in ſcholis tamen
Templisque ne vel cogitem de his, ſedulus
Impoſterum carebo. *Paſſer.* Nullum ergo medium
Tanto malo ſuperſit! *Pallad.* In hominum manu
Et arte ſpes exigua. Per miraculum
Grande ſubière paſſeres caput tuum,
Quomodo queant exire ſine miraculo?
Philind. Et quis patrare poterit hoc miraculum?
Pallad. Primum patravit ira juſti Numinis
Sola illius clementia ſecundum poteſt
Patrare. Studeas igitur iram Numinis
Omni modo placare. *Paſſerell.* Quomodo potero
Placare? *Pallad.* culpam agnoſce, & errorem tuum
Ac deprecare. *Paſſer.* Deprecor. *Pallad.* Nondum ſatis.
Propone, quin promitte te nunquam ampliùs
Male perditurum tempus aucupio. *Paſſ.* malè
Non perdo tempus, ſi capio multas aves.
Philind. Doctum petit, non aucupem natum Parens.

Pallad.

Pallad. Jam dicta repeto: niſi avibus renunties,
Damnesque nugas ſerio, nunquam tuum
Caput relinquent paſſeres delibera.
Veliſne habere ſtramine refertum caput,
Et absque cerebro. Nuntia ſodalibus
Hæc Evariſte, ſi velint miraculum
Caputque plenum ſtramine, ac absque cerebro
Spectare, veniant illicò in noſtram domum.
Ego Parenti ſcribo, ut hinc citò avocet
Ad ſtudia ineptum filium, & ſtivæ applicet.

Scena Quinta.

Paſſerellus. Philindus. Melindus.

Philind. Deliberasne Frater! Amplectere rogo
Conſilia Præceptoris. *Paſſer.* Aucupio vale
Dixiſſe nequeo. Malo perpetuas aves
In capite circumferre, quàm nullam ampliùs
Cepiſſe. *Melind.* Sed quid denique infelix ages
Vacuum cerebro et ſtramine repletum caput?
Paſſer. Id quod alia ſtraminea capita aſſolent
Egiſſe. *Mel.* Nil ſtudere, nilque diſcere
Philind. Sic objicis te ſponte millenis probris?
Quin proximo periculo mortis? ſine
Omni cerebro vivere diu non poteris.
Paſſer. Vivunt tot alii in orbe ſine cerebro diu.
Philind. Quicunque vivunt, cerebri aliquid adhuc habent,
Sed tenuis, & duriſſimi; at tibi nihil
Cerebri relinquent paſſeres, victima necis
Certiſſima es. *Paſſ.* maledicta natio paſſerum!

Scena

Scena Sexta.

Paſſarellus. Philindus. Melindus, Geneſius.

Geneſ. Ut audio domus tota paſſeribus ſcatet
Tutumque non eſt ullius veſtrum caput,
Ne id impudentes involent. *Paſſer.* Certè meum
Jamjam involârunt, & cerebrum devorant.
Geneſ. An liberari hoſpitibus ingratis cupis?
Facillime id Præſtabo. *Paſſer.* Quæris? ah citò,
Si quod remedium tibi ſit, applica, rogo.
Geneſ. Mihi felis eſt pulcherrima. Hæc - -
Paſſerell. pulcherrima
Felis! apage. Vel nomen horreo beſtiæ.
Geneſ. Eſt felis hæc pulcherima & dexterrimè
Novit volucres capere. *Phil.* Quomodò capiet
In Paſſerelli capite concluſas? *Geneſ.* viam
Sibi ipſa faciet unguibus medium in caput,
Factoque mox foramine cerebro extrahet
Ibi latentes paſſeres. Sine, applicem
Jam prurientem beſtiolam in avium necem.
Extrahit ſacculum, cui incluſa felis.
Paſſer. Juvate ſocii pereo. *Melind.* Remedium abnuis
Paſſer. In capite centum Paſſeres malim diu
Noctuque circumferre, quam felem unicam
Vel tangere, minùs illa me tangat, pati.
Geneſ. Tibi Philinde cedo beſtiolam meam,
Hanc applicato dormienti clanculum.

Sic

Sic liberabis maximo fratrem malo. *Abit Geneſius fele Philindo tradita.*

Scena Septima.

Philindus. Paſſerellus. Melindus.

Paſſer. Quid? dormienti clanculum mihi beſtiam
Hanc applicare? rejice, aut tota domo
Exibo. *Phil.* Sed quò abibis? ubi tutum fore
A felibus te credis? in cerebro tuo
Aves latere prodet emanans odor
E naribus. Mox quotquot occurrent cati
In te irruent, & unguibus facta via
Tuo in cerebro paſſeres quærent. *Melind.* Miſer!
Nec per feneſtras tutus audebis caput
Efferre. Scis, quot proxima in domo catos
Catharina vetula nutriat. *Phil.* Felem hanc ego
Ægrè contineo. Sacculo erumpere parat
Geſtitque, quas olfecit, invaſiſſe aves.
Paſſer. Hinc abjice procul ſacculum. Procul. Procul.
Melind. Vis abjici remedium? Et - - *Paſſ.* Eſt pejus malo
Omni remedium hoc. Abjice. *Phil.* Tua me ſalus
Tentare cogit omnia extrema. Medicus
Hæc felis eſſe poterit. Ergo prodeat
E ſacculo. *Paſſer.* Deſiſte. Per ſacra omnia
Deſiſte frater. Per feneſtras in forum

Deſilio. Fractis cruribus humi in publica
Platea jacere mavelim, quàm cum cato
Sub tecto eodem hærere. *Phil.* Non poſſum in ſtatu
Pleno periculis conſpicere diùtius
Fratrem optimum. Sunt paſſeres quoquo modo
Fugandi ê capite. Melinde adjuva.
Ungues cati applicamus invito licet.
Dum perforato fronte depellant aves.
Paſſer. Deſiſtite, oro, obteſtor, adjuro, obſecro,
Per omnia ſacra adjuro. *Melind.* Si nolis catum
Admittere medicum, remedium, quod prius
Suggeſſerat Præceptor, admitte. Volucres
E mente tandem Exclude: damna ſeriò
Aucupia. Sponde poſthac ſedulam
Te litteris, & moribus pariter piis
Operam daturum. Fortè placatus Polus
Pœnam remittet, quótque per miraculum
Tuo cerebro immiſit infauſtas aves,
Educet iterum capite per miraculum.
Paſſer. Damno utique, damno millies, & execror,
Deteſtor, atque abominor diras aves,
Atque maledictos paſſeres. *Phil.* Num hæc ſerio?
Et mente tota? *Paſſer.* ſeriò magis nihil
Unquam ſpopondi. Juro, nec tangam quidem,
Quin nec oculo dignabor inviſas aves.

Scena

Scena Octava.

Perſonis prioribus accedit Mopſulus, ſacculum manu geſtans.

Melind. ad Mopſ. Quid hic puer? *Paſſ.* quid ſacculo geſtas? catum?
Diſcede procul hinc. *Mopſ.* Affero, quod petieras,
Nempe volucres in nidulis captos recens,
Paſſerculi ſunt gemini. Et - *Paſſ.* apage Paſſeres.
Mopſ. Tantum aſpice. Elegantiſſimi, tenerrimi
Jucunduli ſunt. *Paſſer.* Apage, jam dixi. Execror,
Plùs, quàm catos, horreſco, maledictas aves.
Mopſ. Fraterculi ſunt paſſerum, quales herì
Tibi vendidi. *Paſſer.* Tantò execrandi ſunt magìs
Fraterculis ſe jungere, & caput meum
Subire cuperent pariter. Apage, diſplicent
Animalcula hæc infauſta. *Mopſ.* Cur ergò ipſemet
Heri monebas, nidulos ſcruter aviam
Pullóſque qualescunque deferrem tibi?
Paſſer. Quia ſcilicet heri non ſatìs ſapui. *Mopſ.* Putas
Hodie magìs te ſapere? mihi contrarium
Videtur. Es mirabilis. Si paſſeres
Jam renuìs emere, ſolvere decebit tamen
Pretium laboris. *Paſſ.* Ecce! crucigerum tibi.
Abi modò vende volucres alibi tuas.

Scena Nona.

Paſſerellus. Philindus. Melindus.

Phil. Nunc gratulor tibi frater. Ut video, ſapis
Jam feriò, dum ſeriò damnas aves.
Mel. Heroicus hic eſt actus. Hic, ſpero, Polum
Placabit, & quam inflixit ira Numinis
Pœnam reo, clementia remittet tibi
Jam pœnitenti. Paſſeres omnes tuo
Brevì exulabunt capite, dùm mente exulant.
Paſſ. Sic ſpero. *Phil.* Spera firmiter nos interim
Referamus hæc Palladio, & ultra quid velit,
Vel ſuadeat, perquirimus. *Paſſ.* Veſtras preces
Imploro pariter. Supplicate Numini
Meo ê cerebro paſſeres tollat citò.

Scena Decima.

Philindus. Melindus.

Melind. Comœdiæ pars prima ſucceſſit benè,
Dum Paſſerellus incipit amatas aves,
Et chara nimis aucupia damnare, incipit
Jam ſapere. *Philind.* Quin graviſſimè deſipit adhuc,
Dum nidulari credit in cerebro ſuo
Geminas volucres. Error inſanus niſi
Puero extrahatur pariter, eſt præſens malum
Pejus priore. Mavelim fratrem aucupem
Quàm ſtultum habere. *Mel.* Palladius etiam huic malo

Novit mederi. *Phil.* Quomodo? *Mel.* hoc inquirimus.

Pars Tertia.

Scena Prima.

Palladius. Philindus. Melindus.

Pallad. Philinde curam pone. Sanatum brevì
Ex integro fratrem videbis. Ejectus modò
E mente pueri ſit volucrum amor,
E capite facile paſſeres tollet nova,
Quam jam paramus, ſcena. Mox à me ſatis
Inſtructus Evariſtus adjutor aderit,
Lætúmque ponet exitum comœdiæ.
Nunc Paſſerellum accedimus.

Scena Secunda.

Palladius. Philindus. Melindus. Paſſerellus, qui ſedet in interiori cubiculo perficiens cœptam caveam.

Pallad. - - - - Quid hoc rei?
Iterum occupatur priſtinis nugis puer!
Philind. Nonnè execratus frater es paulò antea
Aucupia? quin à Mopſulo oblatas aves
Procul amoviſti? *Mel.* nonne teſtatus palam es
Omnes aves horrere te plùs, quam catos?
Paſſer. Omnino ſum execratus, & adhucdum execror
Et abominor, ſed paſſeres tantum. Caput

 Soli

Soli impudentes Paſſeres invadere
Auſi fuere. *Pallad.* Paſſeres tantùm puer
Es execratus? neutiquam hoc ſatis polo
Placando. Non ceſſabit ira Numinis
Te caſtigare, donec aucupii genus
Omne penitus damnaveris. Miraculum
Sperare noli. Quin novas atque varias
Irata pertinaciæ tuæ Dei
Juſtitia volucres mittet in caput tuum.

Paſſer. Placata jam juſtitia. Jam miraculo
Eſt liberatum hoſpitibus ingratis caput.

Phil. Vidiſtin' ergò paſſeres cerebro tuo
Rurſum avolantes? *Paſſer.* nil quidem vidi, at tamen
Quia nulla ſentio ampliùs veſtigia
Nil tintinat, nil ſaltitat, nil ſe movet
In capite, credo paſſeres omnes procul
Inde avolâſſe. *Phil.* Dormiunt tantum, brevi
Rurſum excitandi. *Melind.* Forſan omnino jacent
Jamjam enecati pulvere priùs naribus
Immiſſo. *Paſſer.* Id eſſet optimum. *Pallad.* Imò peſſimum
Nam quid cadavera volucrum in crebro tuo
Si computreſcant? nempe peſtifera lue
Totum brevi dolebis infectum caput.
Quin peſtis hæc inficiet totam domum.
Abimus hinc, ne pariter afflet nos lues.

Melind. Vale ultimum, valere ſi tamen potes.

Phil. Valeto.

Scena

Scena Tertia.

Paſſerellus. Philindus.

Paſſer. - - Siſte! ſicne fratrem deſeres
In ultima neceſſitate? *Phil.* deſero
Invitus. At cur ſponte te tanto malo
Immergis? & conſilia Palladii ſequi
Tam pertinaciter recuſas? age avibus
Renuntia, ſed omnibus. *Paſſer.* Et hoc quamdiu
Philind. Pro tempore omni. *Paſſer.* Vivere haud poſſum ſine
Aucupio, & omni tempore volucrum
Venationi, qua nihil jucundius,
Renuntiare. *Philind.* Ergo morere, & cum avibus tuis
Jam computreſce.

Scena Quarta.

Paſſerellus. Philindus. Geneſius.

Geneſ. - - - Paſſerellus quî valet?
An capite dempti Paſſeres? *Phil.* Propiùs cave
Accedere. *Geneſ.* Et quis fœtor? anne putridum
Felis cadaver hoc cubiculo jacet!

Philind. Non felium, ſed paſſerum cadavera
E Paſſerelli capite peſtiferum nimis
Spirant odorem. Non fero, Abſcedo. *Geneſius ad Paſſerellum.* Et oculi
Quales tibi? Philinde, conſidera oculos

Fratris. *Paſſer.* Quid exhorreſcitis? nunquid oculi
Bini mihi ſunt, ſicut hominibus cœteris?
Geneſ. Quàm lividi! quàm vultus etiam pallidus?
Et ora nigreſcentia! *Phil.* lues ſcilicet,
Quam Paſſerello putridæ afflârunt aves,
Se prodit oculis, ore, totíſque artubus.
Paſſ. Maledicta natio paſſerum! maledictæ aves!
Philind. Morti propinquus, moneo, maledicas cave.

Scena Quinta.

Palladius. Paſſerellus. Philindus. Geneſius. Chironellus.

Pallad. ad Chironell. Hìc cernis ægrum, & proximum morti, niſi
Citò extrahantur capite clauſi paſſeres.
Chironellus. Nil hoc facilius eſt mihi. A Patre
Chirurgicam non obiter edoctus fui.
Philind. Chirurgica arte capite volucres eximi
Quî credis? *Geneſ.* etiam mortuas, & putridas?
Chironellus. Vivæne ſint an mortuæ, parùm intereſt,
Et mortuos curare me docuit Pater.
Ad Paſſerellum. Tantùm ſede hìc. *Paſſerell.* O me beatum denuò,
Si liber â paſſeribus infauſtis ero
Et liber etiam ab ungue nefaſto Cati
Chiron. Sedeas modò quietus. Huc date faſciam
Pallad. En! *præbet faſciam. Chironellus juvante*

vante Palladio Paſſerellum faſciâ ſellæ alligat.

Paſſer. - - Quid paras, quid me ligas? *Chiron.* Tantùm brevem
Patientiam, mox denuò ſolvam. Interim
Preces pias effundite, ut feliciter
Inciſio ſuccedat. *Paſſer.* Inciſio? *Chiron.* levis
Erit dolor, confide. Sectis naribus
Mox extrahentur capite malè grati hoſpites.
Parat cultrum.

Paſſer. Quid? reſecare vis meas nares! procul
Abſiſte. Mavelim integro naſo mori.
Abſiſte. Solvite ſocii, oro, ſolvite,
Miſerúmque liberate carnificis manu.

Chiron. Chirurgus, & non carnifex ſum. *Phil.* Suſtine
patienter, oro, frater. *Geneſ.* Imò heroicè,
Spes ſanitatis proxima dolorem levet.
Chironellus applicat cultrum naribus Paſſerelli.
Abſiſte! abſiſte! Domine Præceptor juva.

Pallad. Juvare cupio maxime, & certæ neci
Subducere. Hinc medentis adduxi manum.
Hanc ſuſtine. At tu. *Ad Chironellum.* Fortiter nares ſeca.

Chiron. Dexterrimè. Nam culter hic recèns fuit
Politus. *Applicat iterum naribus cultrum.*
Heu me! Eheu! ô meæ nares! Eheu!

Scena Sexta.

Evariſtus. Puer Agyrtæ perſonatus Giſpilus.

Evariſt. Quid Paſſerelle, quid agitur, quid ejulas?

Paſſer. Ah adjuva Evariſte! nam nares mihi
Præſcindere volunt. *Chiron.* Facere paſſeribus viam
Tentamus, ut vel avolent, ſi vivi adhuc,
Vel extrahantur mortui. *Evariſt.* Exſpecta parùm
Ego mitioris quæſii medici manum,
Atque reperi feliciter celeberrimam.

Pallad. Quis iſte tandem medicus? *Giſpil.* Eſt herus meus
Agyrta famoſiſſimus. Cujus manus
Stupenda, ut ipſus aſſerit, ubique edidit
Artis ſpecimina. *Chiron.* Ut ipſus aſſerit, Gravis
Omnino teſtis ipſus in cauſa ſua.

Giſpil. Iſtas patentes legite, quæ facient fidem.
Ars quanta, quanta induſtria ſit hero meo.

Palladius incipit legere. Nos ampliſſimi urbis moropoleos ſapientiſſimi Conſules & Senatores & cætera &c. Omnibus haſce lecturis, vel non lecturis notum teſtatúmque cupimus, præſentium exhibitorem id nuper artis ſuæ ſpecimen edidiſſe, quod urbem totam in ſtuporem

con-

convertit. Fuit nempè & adhuc eſt in urbe noſtra domicella non parùm nobilis, cujus nomen reverentiæ cauſa non apponimus, quæ geminos in capite ſuo catellos melitenſes circumferebat continuò latrantes.

Philind. Geminos catellos? quomodò ſubire poterant
Caput puellæ? *Giſpil.* creditum â cunctis fuit,
Ipſâ fatente â Numine inflictam reæ
Hanc eſſe pœnam. *Geneſ.* Criminis cujus ream
Puella ſemet faſſa? *Giſpil.* quod canes nimìs
Amaret. Nam ſuevit in templis quoque
Precum locò tractare nugas cum ſuis
Binis catellis. *Evariſt.* Caſus hic ſimilis tuo
Eſt Paſſerelle. *Philind.* Num catellis liberum
Caput puellæ denuò factum? *Giſpil.* polô
Arti favente præſtitit id herus meus,
Ut publicæ teſtantur urbis litteræ,
Noménque primi conſulis. *Chiron.* Cur unicus
Tantùm patentes litteras manu ſua
Munire conſul voluit? *Giſpil.* Eſt ratio patens,
Quia conſulum alter ſcribere haud novit. Suum
Tamen ſigillum appreſſit. *Geneſ.* Mirabile
Hoc eſt ſigillum, & ordine inverſo. Viden'!
Giſpil. Sic moris eſt in urbe Morcpoleos. Ubi
Signantur acta celebria inverſo ordine.

Paſſer.

Paſſer. Anne igitur hæc puella ſuſtinuit ſibî
Naſum reſcindi? *Giſpil.* nil reſciſſis naribus
Opus. Sine omni vulnere admota capiti
Hæc Machina admirabilis, ſtupentibûs
Quicunque teſtes viderant, traxit foras
Geminos catellos, & quidem vivos adhuc
Priùs tamen Puella ſe faſſa eſt ream,
Suppléxque cœlo facta damnavit canes,
Nugáſque, quas cum canibus in templis male
Tractarat. Imò jurejurandô fidem
Deo obligare voluít, ê domo ſua
Omnes catellos exules poſthac fore.
Pallad. Quid ad iſta Paſſerellus? *Paſſ.* applica & mihi
Hanc Machinam mirabilem, quæ ſi canes
Extrahere potuit capite, paſſeres quoque
Facilè cerebro poterit expellere meo.
Giſpil. Ad hoc vocatus adſto. Jam admoveo manum
Curationi. *Paſſer.* At naribus ſalvîs. *Giſpil.* metum
Ponas, manebit integer naſus tibi.
Geneſ. At nunquid ùt puella: ſic Puer quoque
Cœlum priùs placare debebit, reum
Semet fatendo pariter, & nugas ſuas
Tempúſque propter aucupia malè perditum
Damnando? *Giſpil.* Verum eſt, quamdiu iratus Deus
Punire vult, nil machina humana poterit
Proficere. *Paſſer.* Jam faſſus utique errorem meum
Sum deprecatus. Paſſeres omnes procul
Amovi,

Amovi, & execratus etiamnum execror.
Pallad. Non paſſeres tantùm, ſed omne avium genus,
Quas propter iram Numinis promeritus es
Damnare debes. Aucupia poſthac decet
Vitare prorſus omnia. *Philind.* Hoc frater nequit,
Nec faciet unquam. *Geneſ.* In capite centum paſſeres
Geſtare mavult, quàm volucribus ſeriò
Renuntiare. *Giſpil.* Machinam hanc ergo meam
Nolim applicare. Proſtituere publicè
Nolim artis hæc arcana. Diſcedo. *Chiron.* Aſt ego
Cultrum reſumo. *Iterum cultrum applicat naribus Paſſerelli. Paſſer.* Cede! cede! tu. *Ad Giſpulum.* mane.
Omnes aves damnabo, damnabo omnia
Aucùpia. *Giſpil.* Mente ſeria hæc ſi ſpondeas,
Tentabo. *Paſſer.* Mente ſeria utique ſpondeo
Et firmiter ſervabo. *Giſpil.* Quod igitur benè
Felicitérque cedat. *Imponit machinam capiti Paſſerelli, qui adhuc ſedi eſt alligatus.* Immotum caput
Teneto. Vos ſequamini geſtus meos
Et his bacillis tundite ollam. *Præeuntem ſequuntur reliqui pueri circumeuntes quaſi ſaltando Paſſerellum, & tundentes &c.* *Paſſer.* Attendite!
Olla baculis tundenda, non caput meum
Humerive. Nunc huc propiùs, atque ægri auribus
Mecum

Clamate mecum. *Omnes præeunte Giſpilo.* Paſſeres! citò paſſeres!

Giſpil. Altiùs adhuc clamate: *pueri omnes.* Paſſeres, citò

Exite cerebrô Paſſeres! *Paſſerell.* Vah! quàm mihi

Inconditis clamoribus totum caput

Obtunditis! jam mortui ſunt paſſeres

Nil audiunt. *Giſpil.* Per Machinam hanc lapſus ſonus

Auditur etiam â mortuis, adhuc ſemel

Et ultimum inclamate: *Omnes.* Paſſeres! citò

Exite cerebro paſſeres. *Giſpil.* Nunc jam ſatis,

Videte modò miracula. *Detegit ollam, quam inſpiciunt reliqui. Philind.* video nihil

Geneſ. Sed nec ego. *Evariſt.* nec ego. *Giſpil.* Cernitis nihil? *Pallad.* nihil.

Giſpil. Juſtiſſimum hoc miraculum eſt, dùm machina

Hæc fallere nunquam neſcia, fefellit hodie!

Nempè puer hic non ſerio culpam ſuam

Agnoſcit, & non ſerio damnat animo

Aucupia. Adhuc iratus eſt illi Polus,

Et tam potentis machinæ effectum impedit.

Diſcedo. *Pallad.* Chironelle: denuò applica

Cultrum tuum. *Paſſ.* Deſiſte! per ſacra omnia

Affirmo, teſtor, juro. Damno ſeriò

Aucupia prorsùs omnia, & volucrum genus

Omne execror, deteſtor. *Giſpil.* Ergo adhuc ſemel

Ten-

Tentabo; ſed præmoneo, ſi fallas fidem,
Hæc machina caput & cerebrum non modò
Non liberabit avibûs, at totum novo
Implebit agmine paſſerum. Corvi quoque
Ex putridis paſſeribus excreſcent. *Geneſ.*
Eheu!
Corvi in cerebro. *Philind.* Frater! ah tandem ſape!
Pallad. Determina. Anne hanc machinam, an cultrum tibi
Vis applicari. *Paſſer.* Quæſo! machinam applica;
Nam ſerio ſervabo, quam dedi fidem,
Modo queam ſervare nares integras.
Giſpil. Repetimus ergò cœpta. Tu corde interim
Contritus, & propoſita confirmans pia
Precare, ne vim machinæ impediat Polus.
Impoſita iterum paſſerello olla ùt prius circumeunt omnes tundentes ollam, ſubin & caput P*aſſerelli inclamantes auribus ùt ſupra.*
P*hilind.* Dolésne Paſſerelle? P*aſſer.* doleo plurimum
Geneſ. Et ſerio? P*aſſ.* utique ſerio *Evariſt.*
& cur? P*aſſer.* cur? quia
Crudis bacillis tunditis caput meum.
P*allad.* De tempore per aucupia neglecto dole,
Volucrésque damna ſerio. *Giſpil.* Nam ni priùs
Expuleris animo ſerio omne avium genus
Vetante cœlo Machina expellet nihil.
P*aſſer.* Expello tota mente genus omne volucrum,
Cor-

Corvos, crabrones, paſſeres, paros quoque
Chariſſimos deteſtor æternum. *Giſpil.*
Bene eſt
Videamus. *Deponit ollam & inſpiciendam reliquis offert.*
- - - hic quid cernitis? *Philindus & reliqui exempto paſſerello* Miraculum
Noviſſimum Miraculum! Miraculum!
Paſſer. An capite pulſi paſſeres? *Philind.*
Coram vides. *Eximit olla duos paſſeres.*
Paſſer. Stupeſco. *Geneſ.* Sed jam mortui ſunt.
Paſſer. Mortui
Vivine ſint, non curo, dummodo cerebro
Exiverint, & naribus ſalvis. *Evariſt.* Tibi
Quàm Paſſerelle gratulor? *Paſſer.* & ego mihi.
Jam vinculis me ſolvite, & tu. *Ad Chironell.* cum tuo
Recede cultro in ultimam Thulen procul.
Chiron. Fateor, potens hæc machina eſt, cultro meo.
Felicior. *Solvitur paſſerellus. Philind.* Stupeſco, nec præ gaudio
Me capio, dum te liberum tanto malo
Aſpicio, frater. *Pallad.* Sed cave, ne denuo
In illud aut in gravius incidas, fidem
Fallendo. *Chiron.* Tunc remedia non eſſent ſuper
Niſi meus iſte culter atque inciſio

Scena ultima.

Perſonis prioribus accedit Melindus.

Melind. Quàm pulſat importunus ædium fores
Et

Et Paſſerellum turbida voce evocat!
Paſſer. Quis ille? *Melind.* dicit ſe aucupem notum tibi
Et conſtitutum, ut veniat ad ſylvas, comes
Tibi futurus. *Paſſer.* Pergat auceps, quo volet.
Seductor eſt, me non habebit amplius
Comitem ducemve. *Mel.* Dicit etiam, ſe novas
Variáſque ferre machinas, per quas aves
Capiantur. *Paſſer.* Apage; machinas nullas peto.
Quin vetera, quæ paraveram inſanus, foco
Tradantur inſtrumenta. Retia, caveas,
Et fiſtulas combure Præceptor, rogo.
Hac machina: *ollam oſculatur.* Una charior mihi omnibus
Hæc liberavit avibus infeſtum caput.
Melind. An Paſſerelli liberum ab avibus caput?
Giſpil. Mea arte. *Phil.* poſtquam aucupia frater omnia
Eſt execratus ſerio. En! miraculum! *oſtendit paſſeres in olla.*
Pallad. ad Giſpilum. Sed quid tibi debemus, atque arti tuæ?
Pretium labori poſce. *Giſpil.* Nihil herus meus
Expoſcere ſolet. *Chiron.* Sed honorarium tamen
Admittit, atque exſpectat, ut Medici ſolent,
Si divites curaverint. *Giſpil.* Ne illud quidem,
Contemptor auri gloriam ſolam petit,

Famámque. Teſtes literas ſi dederitis
Miraculi præſentis, & veſtra manu
Firmetis, artis ſpecimen hodierna die
Palam datum, Sufficiet hoc hero meo.
Pallad. Statim Patentes ſcribo. *Philind.* Nos promptâ manu
Signabimus. *Paſſer.* Signabo præprimis ego;
Exinde pueri diſcere poterunt, ſibi
Cavere, nugas ponere in templo & ſchola,
Non avibus occupare ſe, ſed literis
Precibúsque, ne, quòd contigit hodie mihi
Caput involante paſſere, omne cerebrum
Exhauriant, & ſtramine ingrato repleant.

DATE

Digitized by Google

DATE ET DABITUR.

Argumentum.

Servatoris Noſtri effatum, & promiſſum eſt, *date, & dabitur vobis.* Hoc per parabolam explicabit ſequens ſcena.

Perſonæ.

Chremes, Civis, & recens ſenator urbis.
Leribal, Filius Chremetis natu major.
Sparmuncus, Filius Chremetis natu minor.
Date, *Dabitur*, } Fratres in Famulitio Chremetis.
Sordidellus, Puer Chremetis uxori commendatus
Staſimus, *Stolprio*, } Famuli Domeſtici Chremetis.
Apparitor urbis.
Tres pauperes ſtudioſi.
Tres ſtudioſi Muſici.
Codrus, Mendicabulum.
Codrillus, Codri Filius.
Mopſulus, *Tytirellus*, } Pueri ruſtici.
Picillus, Filius Sutoris.

Actus Primus.

Scena Prima.

Chremes, Leribal.

Lerib. Senatus ergò totus in noſtra domo
Cœnabit hodie? *Chrem.* conſules gemini quoque
Promptiſſime addixere ſub noctem ſuam
Præſentiam. *Ler.* Sed Mater an tot hoſpites
Admittet? *Chrem.* inſcia hac utique egò neminem
Eſſem auſus invitare. *Ler.* Conſentit igitur,
Cœnamque præparabit, & gratis quidem
Senatui omni? *Chrem.* imo ipſamet juſſit hodie
A me vocari hos hoſpites. *Ler.* Nondum ſatis
Hæc capio; num mutata tam ſubito Parens
A ſemetipſa? *Chrem.* nempe poſtquam heri fuit
Membrum ſenatûs facta. *Ler.* Quid? Mater fuit
Membrum ſenatûs facta? *Chrem.* Nonne ego ſum heri
Factus ſenator? uxor eſt membrum meum,
Ergo & ſenatûs. *Ler.* Gratulor Matri, & tibi,
Et civico ſenatui; quin & mihi
Totique domui, ſi Parens per hos novos,
Tantosque honores mutet & mores. *Chrem.* Nihil
Tenacitatis amplius in illa eſt ſuper.
Jam fœmina ſenatoria uni gloriæ,

Famæ-

Famæque ſervit publicæ. Hinc convivium
Omni ſenatui inſtruit lautiſſimum.
Videamus, an parata ſint rite omnia.

Scena Secunda.

Chremes, *Leribal*, *Staſimus.*

Cherm. * Quæ juſſeram, num, ſtaſime, completa omnia?

Staſ. Ipſus vide. Profecto pro noſtris equis
Nemo ſtabulum purgare mundius poteſt,
Ut hoc ego cubiculum Hoſpitibus tuis.

Ler. Et quæ hæc imago Limini appenſa? *Staſ.* hanc Hera,
Ut ſic cubile melius exornem, dedit.

Ler. Facies Megæræ eſt. *Staſ.* Credidi Matris tuæ
Eſſe Ectypon. *Chrem.* Novi iconem, ab Avia ſua
Hæreditate hanc uxor accepit mea,
Subſcripta lege. ** *Ler. Avaritia.* Procul hinc amove,
Terreret ipſo in limine omnes hoſpites
Imago nimium tetrica. *Chrem.* Non, non amove.
Si Domina juſſit iconem hoc poni loco,
Relinque. Nolim offendere uxorem meam.

Ler. Et qualia hæc ſunt vitra? ſi pro ruſticis
Eſſet paranda cæna, toleranda hæc forent;

 Sed

* Theatrum interius exhibet cænaculum cum menſa, jam mapalibus, & vitris inſtrata, pone eam Staſimus cum ſcopa.

** Leribal legit.

Sed pro ſenatu - *Staſ.* vitra curabunt parum
Noſtri hoſpites, dum ſpumet in vitris bonus
Multusque potus. *Ler.* Pocula aurata afferam,
Hæreditate nupera Pater tibi
Legata. Clavem cede. *Chrem.* Clavis in manu
Uxoris eſt, hæc clauſa ſervat omnia,
Lerib. Dic ergo Matri, Staſime, pocla argentea
Extradat. *Staſ.* At ſi tradere recuſet? *Ler.* Patrem
Dic id jubere. *Chrem.* Non, nihil jubeo, nihil,
Dicas tamen, rogare me (Nota bene)
Rogare me, velit (niſi aliud judicet)
Aurata pocla tradere ad cænam hoſpiti
Senatui apponenda. Saltem conſuli
Gemino gemina non deneganda pocula
Sperare me, niſi ipſa judicaverit
Contrarium. *Staſ.* Contrarium certo volet.
Aurata pocla neutiquam ſenatui
Aut Conſulum committet incauta manibus. *

Scena Tertia.

Chremes, Leribal.

Ler. Dixiſſe liceat, cedis uxori nimis.
Senator urbis fœminam unicam times?
Chrem. Non timeo; ſed domeſticam pacem tamen
Servare ſartam cupio. *Ler.* Bella mavelim
Perpetua, quàm domeſticam pacem pati
Hoc mancipatu. *Chrem.* Sic modò loqueris puer;

Sed

* Clauditur cænaculum abeunte Staſimo.

Sed vir loquêris aliter. Aſt ubi modo
Noſter *Dabitur?* exſpectat hunc puerum parens
Avidiſſime. *Ler.* vidi exeuntem ex ædibus
Jam mane ſummo. Retia, & Sclopum ferens
Pro more ſylvas petiit, ut prædas agat.
Sors mira puero eſt. Vix nemus ſubit, feræ,
Volucréſque ſponte ſe offerunt pleno agmine.
Largas culinæ, haud ambigo, inferet dapes.
Chrem. Omnino *Dabitur* non habet parem ſibi,
In tam tenella ætate jam tam induſtrius
Oeconomus, &, quod nequeo mirari ſatis,
Raro petit pecunias à me; & tamen
Eſt cella vino plena, panibus Penus
Abundat. *Ler.* Omni dignus eſt laude *Dabitur.*
Sed alter etiam ſervulus noſter *Date*,
Quam ſtrenue implet munus impoſtum ſibi!
Peritus emptor *Dabitur* eſt; Dabit bonus
Fidusque Diſpenſator, etſi annis tener
Tamen omnibus Domeſticis ſatisfacit.
Suum cuique dat lubens; nullum tamen
Exinde damnum patitur Oeconomia. Scit
Dare & negare, quæ neganda judicat,
Vultu ſereno, & ore jucundo, omnibus
Vel ſi petita deneget, gratus tamen.
Chrem. Hinc neutiquam me pœnitet, Fili, meæ
Pietatis. Ex quo tempore hos pueros alo,
Felicitatem ſentio in tota domo.
Et hinc utrumque diligo, ut prolem meam.
Ler. Matri tamen non animus eſt idem: fovet
Amatque multùm *Dabiur*; aſt illum *Date* -

Scena Quarta.

Chremes, Leribal, Sparmuncus.

Sparmunc. * An convocaſti jam hoſpites? *Chrem.* quos juſſerat
Mater vocari, ad veſperam promptiſſimos
Omnes adeſſe cernet. *Spar.* Ergo mox abi,
Et ne quis hoſpitum hac die veniat, mone.
Chrem. Quid? ne hoſpitum quis veniat? *Spar.* ita mater iubet.
Chrem. Tamen ipſamet ſenatum, & ambos conſules
A me vocari juſſit ad cænam? *Spar.* Priùs
Id juſſerat; nunc revocat: aut ſi venerit
Quiſquam hoſpitum, reperiet in cæna nihil.
Nihil parabit Mater. *Chrem.* Et cur hoc? *Ler.* veni
Cauſam vide - - -

Scena Quinta.

Chremes, Leribal, Sparmuncus, Date.

Sparm. ** - - Hoc in corbe quid geſtas puer?
Date. Quid quæritis? domeſticis ſervis fero
Pro more panes. *Sparm.* *** Candidos ex tritico
Panes gregi famulantium? & quid hæc caro
Aſſata? *Date.* tantum fruſtula heſternæ vides
Cænæ reliquias. *Sparm.* Inſuper quid urceus
Adeo

* Ad Chremetem.
** Aperitur penarium domeſticum, è quo prodit Date, una manu corbem, altera urceum ferens.
*** Sparmuncus luſtrat corbem.

Adeo amplus, atque impletus ad ſummum?
Chrem. Date!
Es liberalis admodum. *Date.* H c dies, Here,
Solennis eſt, & feſta. Dum factus es heri
Senator urbis, tota familia gaudeat,
Et plaudat, atque in ſanitatem heri ſui
Edat, bibatque liberalius, decet.
Chrem. Niſi uxor aliud judicet, cenſentio.
Sparm. Scrutemur ultra. Dabitur, ut noſti Parens,
Variis heri jam rebus inſtruxit penum,
Ut lautius tractare poſſis hoſpites:
Ubi illa, quæ paraverat? *Date.* coram vides.
Scrutare. *Sparm.* Nunquid gemina Gallina penui
Illata? - ſupereſt unica hic. Quonam, *Date,*
Dic, altera avolavit? *Date.* Haud abhinc procul.
Vicina vidua graviter ægrotans diu
Suadente medico juſculum voluit ſibi
Parare, quod Gallina trixa debuit
Condire. *Spar.* Quid deinde? *Date.* totum percipe.
Cum non haberet, unde Gallinam emeret
Paupercula, dedi ſupplici, quam repereram
In hac penu ſuperfluam. *Sparm.* Superfluam?
Date. Omnino: Dabitur namque meliora afferet
Ex nemore, non ex corte, Phaſiacas aves.
Ler. Opus bonum, quin optimum fecit *Date.*
Chrem. Niſi uxor aliud judicet, conſentio.
Sparm. Jam porro dic: quot Leribal turdos vides?

Heri fuere duodecim, at modò decem
Numerare tantùm poteris. Ad pauperculam
An avolarunt pariter? *Date.* ad pauperculos,
Ita, avolarunt: nempe venerunt heri
Jam nocte ſera duo Religioſi viri
Ex, neſcio quonam, ordine ad noſtram domum,
Defeſſi itinere ſupplices tectum ſibi
Tantum rogabant: nolui te tunc, Here,
Jam dormientem ſuſcitare, ſed viros
ſacros, piosque proxima ad cubilia
Ductos refocillare, quo poſſem modo,
Studui miſertus, & fame preſſos videns
Toſtos duos famelicis turdos dedi.

Ler. Laudanda pietas tua, *Date*, in viros ſacros.

Chrem. Niſi uxor aliud judicet, conſentio.

Sparm. Atqui aliud illa judicat. Tam prodigum
Puerum niſi depellis actutum domo,
Nihil parabit Mater ad cænam. *Chrem. Date*,
Impoſterum ſis parcior, & Hera inſcia
Nil audeas depromere è tota penu.

Date. Here, quod dediſti munus, ut cæpi, exquar.
Vocor *date:* atque hinc indoles mea eſt *Dare*,
Eritque ſemper, uſque dum vivo. *Dare*
A lacte ſuevi. Niſi dedero, non ſim *Date* *

Scena Sexta.

Chremes, Leribal, Sparmuncus.

Spar. Ecce inſolentem! *Ler.* Imo optime dicit *Date*,

Facit-

* Abit Date. clauditur penarium.

Facitque. Liberalis in pauperculos
Cæli favores attrahit noſtram in domum,
Promiſſa cæli cernimus Pater palam
Completa: *Date, tunc dabitur & vobis.*
Spar. Date,
Sed parciùs. *Ler.* Sic parcius nobis quoque
Dabitur. Pater, promiſſa, quæ Deus dedit,
Perpende. *Spar.* An ergo in gratiam indigentium
Egeamus ipſi? *Ler.* non egebimus. *Spar.* tamen
Egemus actu. Convocavimus hoſpites,
Queis cum pudore publico debet modò
Pater renuntiare; vel ſi venerint,
Famelicos dimittere in domos ſuas.
Ler. Neutrum neceſſe eſt. Præparet cænam Parens.
Spar. Quid præparabit? vacua jam pene eſt Penus,
Totam *Date* expilavit. *Ler.* Eſt adhuc ſuper
Non modicus apparatus, & plura *Dabitur*
Mox afferet, non vacuus è ſylvis redux.
Chrem. Nil ambigendum. * Tu modò ad Matrem redi.
Dic, me rogare paululum patientiæ. -

Scena Septima.

Chremes, Leribal, Sparmuncus, Stolprio.

Stolp. Here! ah Here! *Chrem.* quid? *Stolp.* uxor tua - *Chrem.* quid uxor mea?
Et veſtra Mater - - *Ler.* quid? *Stolp.* Hera mea - - vix audeo

Palam

* Ad Sparmuncum.

Palam eloqui - - plena furiis, imo Furia
Jamjam ipſa facta deſerit noſtram domum,
Clauſa culina jam abiit. *Chrem.* Et quo?
Stolp. neſcio.
Ler. Abiitne ſola? *Stolp.* vetula comes eſt,
cui ſolet
Arcana ſua negotia uni credere.
Spar. An Sordidella? *Stolp* ſic, puto, vocant.
Chrem. Forum
Adivit, ut quæ cænæ adhuc deſunt, emat.
Stolp. Non abiit, ut emat; namque de cæna
nihil
Audire vult. Juravit, & ſanctiſſimè
Juravit omnes Dœmones teſtes vocans,
Et vindices, ſi falleret ſanctiſſimè
Jurata. *Chrem.* Quid juravit igitur? *Stolp.*
ſe domum
Noſtram redire nolle, quamdiu *Date*
Has inter ædes hæreat. *Spar* Vides Pater,
Quod dixeram. *Ler.* Redire ſi nolit, foris
Per me manere poterit. *Chrem.* Ita Nate lo-
queris
De Matre? qua carere ſi unquam poſſumus,
Hodie tamen non poſſumus. revoca citò
Sparmunce Matrem. *Spar.* Si ejicis puerum
domo,
Facilis redibit; ſed alio haud flectes modo,
Non referet ad nos Mater, ut dixit, pedem,
Niſi procul ab his ædibus pulſo *Date.*
Chrem. Dic ergo Stolprio, domo excedat
Puer,
Alibique ſedem ſibi novam quærat *Date.*
Spar. Urgebo juſſa hæc ipſus. - -

Scena

Scena Octava.

Chremes, *Leribal.*

Ler. - - - - - - Innocuum *Date*
Tam turpiter depellere è domo Pater
Audebis? *Crem.* Uxor exigit, & hoc impe-
rat,
Invitus etſi, debeo. *Ler.* Ergone imperet
Uxor marito? *Chrem.* Pax domeſtica hoc ju-
bet,
Et hac die potiſſimum uxoris opera
Carere nequeo. irata jam ceſſit domo;
Ut redeat huc manente nobiſcum *Date*,
Nemo obſtinatam flectet. *Ler.* Ego ſi eſſem
tuo
Pater, loco, vel flecterem, vel frangerem
Caput obſtinatum. *Chrem.* Quomodo? *Ler.*
aliquis Scipio
Domare potuit Africam; aliquis ſcipio
Domare poſſet fœminam. *Chrem.* Quomodo
iterum
De Matre loqueris? *Ler.* ſic loqui jubet Patris
Imo Familiæ totius honor, & ſalus,
Felicitasque totius domûs. Priùs
Confeſſus ipſe Pater es, ex quo tempore
Date, & *Dabitur* in ædibus tuis alas,
Succedere omnia proſpere, augeri penum
Domeſticam, cellamque ſine ſumptu tuo;
Ipſusne vis evertere favorem Poli,
Quem maximum attraxere pupilli duo,
Quos liberalitate nutriiſti pia.
Chrem. Modo remaneat *Dabitur*, hic ſolus po-
teſt

Cura-

Curare rem Domeſticam. Sic judicat
Uxor. Sat eſt hoc. Leribal! Matri decet
Nos obſequi. *Ler.* * Diſcedo. non fero Patris
Ignaviam. *Chrem.* Quàm diſpares ſunt Filii
Sparmuncus, atque Leribal, quàm diſpares!
Sparmuncus eſt ſimillimus Matri, tenax,
Et parcus, & ſufferre non poteſt *Date*,
Amatque ſolum *Dabitur*, huic uni favet:
At liberalis Leribal, ſemper fovet,
Matrisque contra vota defendit *Date*.

Scena Nona.

Chremes, *Date*. **

Date. Ergo jubes exeſſe me domo tua?
Chrem. Non ego, ſed uxor hoc jubet. *Date*, tali die,
Qua tota plaudit Familia, & læta celebrat
Solennitatem, ſolus exul, & miſer
Pupillus ego lugebo? *Chrem*. miſeret me tui
Bone parvule, ſed hoc uxor - - *Date*. an verò jubes
Laribus tuis exeſſe me æternùm? *Chrem*. *Date*,
Jam dixi: ego nihil jubeo, quamprimum mea
Uxor fuerit emortua, redire poteris.
Deum precare, ut illa moriatur brevi.
Date. A me nefas hoc abſit. Æternos precor
Annos utrique conjugi; & fauſtos dies,
Agoque grates debitas favoribus
In me tuis. Diſcedo procul hinc victima
Dome-

* Tacite.
** Portans ſarcinulam ſub axilla.

Domeſticæ pacis. *Chrem.* Sile, obſecro, intima
Mihi commoventur viſcera. *Date.* Liceat tamen
Manui Paternæ figere ultimum oſculum,
Chrem. Fige, & recede. *Date.* Deprecor flexo genu
Errata. Si quid forſan imprudens - - *Chrem.* ſile,
Obſecro, niſi me flere vis tecum. - -

Scena Decima.

Chremes, Date, Sparmuncus, Sordidellus.

Sparm. - - - - - Pater,
En! * ſubſtitutum à Matre depulſo *Date.*
Non erit hic adeo prodigus; quoniam nepos
Eſt ſordidellæ, atque ab Avia inſtructus bene.
Sord. Et Sordidellus pariter ab Avia vocor.
Chrem. Si Mater hunc eligit, audeo nihil
Opponere. *Date.* ** Ecce! traditas olim mihi
Claves penûs, cellæque recipe; ſed ſimul
Vale ultimum cape. *Chrem.* *** Trade Sparmunco, pudet
Me flere coram pluribus, abeo. *Date.* vale!

Scena Undecima.

Date. Sparmunce, valeas pariter. *Spar.* Has claves modò
Cape

* Deſignat Sordidellum.
** Tradit Chremeti claves.
*** Tacite.

Cape Sordidelle. Diligenter omnia
Cellam, Penumq́ue claude. *Sord.* Ne dubites. nihil
Exibit inde, niſi jubente te. *Date.* Precor
Tibi Sordidelle munus hoc cedat bene,
Meliusq́ue, quàm mihi. Vado; ſed quo, neſcio.

Spar. Siſte puer! hæc ſarcinula quid clauſum tenet?
Nihil domo effers, quod tuum non ſit? *Date.* vide,
Et inſpice ipſus omnia. * *Spar.* quid induſium hoc?

Date. Hoc Leribal donavit. *Spar.* Hoc Matre inſcia
Donaverit. Donatio nihil valet.
Tu Sordidelle induſium hoc cape. an placet?

Sord. Dubitasne? certe melius eſt, & mundius
Induſio meo nigerrimo. Parens
A quatuor jam menſibus lavit nihil.

Spar. Et qualis hæc interula? *Date.* Qùam Parens tuus
Nuperrime mihi juſſit aptari. *Spar.* Pater
Hoc juſſerat, dum ſervulus apud nos eras;
Dimiſſus è ſervitio, & expulſus domo
Hanc Sordidello cede. Cape ** indue.

Sord. ut induam hodie, non decet. Elegans nimis
Interula conſervanda pro feſta die.

Spar. Et pileus hic? *Date.* Hunc attuli mecum, antequam

Ve-

---

* Sparmuncus luſtrat omnia.
** Dat Sordidello interulam.

Veſtram domum ſubiverim. *Sord.* Foret meo
Hoc pileo mihi aptior. *Date.* Capiti meo
Eſt aptus etiam. Spero, non rapies mihi.
Sord. Non rapere, ſed mutare tantùm cum tuo
Hoc pileo vellem meum. Num diſplicet
Mutatio? *Date.* meum teneo, tu teneas tuum.
Spar. * Sed calceos hos nunquid & Parens meus
Suo ære ſolvit? *Date.* ſolvit, & ad uſus meos
Conceſſit. *Spar.* Iterum tamdiu tantum Parens
Conceſſit iſta, quamdiu in noſtra domo
Servus maneres; nunc quia è famulitio
Diſcedis, etiam calcei non amplius
Tuos ad uſus ſunt relinquendi. cape
Hos Sordidelle. Nomine Parentis meæ
Hos deſtino tibi, plurimum illis indiges.
Sord. Veriſſimum eſt: nam calcei mei, ut vides
Soleis carent. incedo jam nudo pede.
Date. En! pariter iſti calcei, quibus pedes
Modò teguntur, uſibus Chremes meis
Conceſſit, etiam hos exuam, ſi ſic jubes.
Spar. Hos, ut retineas, patiar, & ſalarii loco
Tibi relinquam; ſis licet meritus parum,
Et fortè vix contenta ſat mecum Parens
Futura ſit. Nam prodigum certè arguet.
Jam cede. *Date.* Cedo. ſed vide, ne fors brevi
Loquaris aliter. Senties - - ** *Spar.* Quid? hic puer
Etiam minari? at rideo brutas minas.
Me Sordidelle ſequere. Te rite inſtruam

* Extrahit & calceos novos ex ſarcinula.
** Digito minitans abit Date.

In munere novo. *Sord.* Jam Avia me inſtruxit bene;
Stupebis ipſe Sordidelli induſtriam.

Actus Secundus.

Scena Prima.

Dabitur, Date, Mopſulus, Tytirellus. *

Dabitur. Animos reſume, injuriam, frater, tuam
Meámque vindicabo. *Date.* Nulla injuria
Tibi facta. Solus ædibus pulſus *Date*
Urgente Domina. *Dabitur* eſt in amoribus
Et pretio utrique conjugi. *Dabitur.* At pulſo *Date*
Nec *Dabitur* ultra ſerviet tam ſordidis
Dominis, & ingratis. Nimis læſus hodie
In Fratre Frater. *Date.* Neſciunt Domeſtici
Chremetis, aut vel ipſe, vel conſors thori,
Nos eſſe Fratres. Teximus ſtudio genus,
Patriam, & Parentes. *Dabitur.* Teximus; hodie tamen
Pandere juvabit. Sentient damno ſuo
Chremes, & uxor, quàm malè expulſo *Date*
Sibi conſuluerint. Quærimus ſedes novas
Uter-

* Scena exhibet plateam Chremetis domui proximam. Dabitur cum ſclopo, & pera venatoria plena avibus. Mopſulus & Tytirellus ferentes lepores, cancros. &c.

Uterque. *Date.* Mihi quærenda ſedes eſt nova;
At tibi domus Chremetis, ùt prius, patet.
Quin avida Dominá exſpectat adventum tuum.

Dabitur. Exſpectet. Haud videbit ultrà me Domus
Chremetis. Hæret ultima voluntas Patris
Infixa menti. Vetuit hic graviſſimè,
Ne ſeparemur invicem, ne quo loco
Domóve maneat *Dabitur,* ubi non eſt *Date.*
Imò niſi receptus in domum prior
Date ſit, vetatur *Dabitur* in talem domum
Vel ingredi. Ædes quærimus, Frater, novas.
Nec procul eundum. Proximam domum incolit
E civibus vir, neutiquam dives quidem,
Quin pauper ipſe ſutor eſt. *Date.* Novi optimè,
Eſt pauper ipſe, in pauperes omnes tamen
Quantum poteſt, benignus. *Dabitur.* Hic te amat *Date.*
Huc te ſequetur *Dabitur.* Et vos parvuli
Cum ſarcinis venaticis ſequamini.

Mopſ. An longa adhuc terenda nobis eſt via?
Nam me geminus iſte lepus admodum gravat.

Tyt. Nec continere diutius cancros queo
In corbe, ſemper exitum quærunt. Nimis
Sunt inquieti. *Dabitur.* Proxima eſt, dixi, domus,
In qua onera deponatis. *Mopſ.* Et dein dabis
Potum? *Dabitur.* vel aliud ſerviens potu magis.

Date. Subſiſte Frater. Fercla, quæ pueri ferunt,
Fideliter fac deferantur in domum
Chremetis. Hujus ære ſunt empta omnia;
Hinc jure ad illum pertinent. *Dabitur.* Quàm falleris
Mi frater! hæc in fercula expenſum nihil
Eſt æris à Chremete. Sola induſtria
Mea, & favor cœleſtis in caſſes meos
Hæc impulit animalia. *Mopſ.* Ipſi vidimus
Sumúsque teſtes: vix Dabitur in rivulum
Deſcendit, intra temporis breviſſimum
Spatium, ſtupente me, manu fauſtiſſima
Cancros trecentos cepit, & grandes quidem,
Ut conſpicis. *Tytir.* Geminum quoque leporem, nemus
Vix dum ſubivit, ſtravit. *Date.* At volucres tamen
Chremetis ære nunquid emptæ ſunt? *Dabitur.* nihil
Chremetis ære apparatum ex omnibus,
Quæ cernis. Uni induſtriæ meæ, & Poli
Favoribus debetur hæc præda: hinc licet
Diſponere, ut placuerit, his de ferculis.
Vidiſtin' etiam frater heſterna die
Illata penui? *Date.* per manum vidi tuam
Cervinam, Aprinam in copia, & turdos quoque
Oneráſſe cellam. *Dabitur.* Pariter hæc ſine ſumptibus
Chremetis hæc collegit induſtria manus.
Etiam hæc mihi reddenda ſunt hodiedum adhuc.
Date. Tenacia nihil reddet. *Dabitur.* Efficiam dolo,
Eóque

Eóque licito, quod tenax mulier negat.
Et en! Picillus properat huc in tempore.

Scena Secunda.

Dabitur, Date, Picillus, Mopſulus, Tytirellus.

Dabitur. Edic Picille, num domi eſt Parens tuus?

Picill. Modo exiit ad Eccleſiam, ut ſacrum audiat.

Date. Et Mater ubi? *Picill.* ab Eccleſia rediit modo,
Ubi per horas quatuor, aut ultra hæſerat.
Sed quid Patrem, Matrémve vos depoſcitis?

Dabitur. Cænare lautùm cupimus in veſtra domo.

Pic. Cænare lautum cupitis in noſtra domo?

Date. Tuam parentem novimus dexterrimam
Coquendi in arte. Hanc nobiles ſæpè evocant
Suas in arces, quando ſplendidiſſima
Convivia parant. Plurimam hæc Parens tua
A ſingulari induſtria laudem tulit.

Pic. Verum eſt. Foris dexterrima eſt Mater coqua;
At propria in æde coquere ſcit prorſus nihil,
Præter olera, & pultem, & farinæ atros globos.

Dabitur. Quia nempe ſæpè reperit in penu nihil.

Pic. Etiam hac die reperiet in penu nihil.

Dabitur. Supplebimus penuriam. Mater modo

 Operam

Operam in coquendo collocet, de ferculis
Nos providere ſtudebimus. *Pic.* Promptiſſimam
Ad hoc parentem habebitis. *Dabitur.* Igitur veni,
Accedimus. *Pic* Veniam Date, priùs debeo
Hos calceos deferre. *Date.* Quò? *Pic.* non hinc procul.
Pupillus eſt, qui jam diu nudo pede
Incedit, hunc miſertus eſt parens meus,
Et calceos ſubmittit. *Date.* Et quale pretium
Pro calceis his exigit? *Pic.* nullum exigit
A paupere pretium, ſolet gratis dare
Egentibus, quidquid habet in domo Parens.
Dabitur. An mater etiam comprobat viri manum
Tam liberalem? *Pic.* Maxime ſuevit Parens
Uterque ſæpè dicere, & mihi quoque
Hæc dare monita: *Date & Dabitur.* *Date.* Audio lubens
Hæc dicta. *Dabitur.* Perge, calceos defer citò,
Quò pertinent. Tu frater accedas domum
Sutoris, & quas parvuli hi merces ferunt,
Omnes ibi depone. Me, quæ adhuc ſuper
Sunt in Penu Chremetis, à manu mea
Illata, vindicare mihi vi, vel dolo
Oportet. * Hæret pectore indigna nimium
Injuria Date illata, ſed pœnas dabunt
Chremes, & uxor. Sentient, atque hodie adhuc.

Sic

* Abit cum pueris Date.

Sic juro ſanĉte, ſentient, quid ſit *Date*
Domo expuliſſe, & gratiam cœli ſimul.

Scena Tertia.

Dabitur, Ollander, Speſuppus, Creax.*

Ollınd. Ah *Dabitur*! anne vera conſervi tui
Dixêre? *Dabitur.* quid dixêre conſervi mei?
Speſ. Quod ædibus Chremetis expulſus *Date*
eſt?
Dabitur. Veriſſimum hoc, quid inde? quid
veſtra intereſt?
Creax. Q in pauperum omnium intereſt. O
quàm *Date*,
In nos beneficus ſemper, & pius fuit!
Oll Non juſculo duntaxat has noſtras puer
Implevit ollas quotidie, ſed carnibus
Plerumque. *Speſ.* Sæpè & candidum pa-
nem addidit.
Dabitur. Et quid hodie accepiſtis? an non-
dum domum
Chremetis acceſſiſtis, ad ſolitam dari
Offam petendam? *Oll.* acceſſimus, & in-
gens quidem,
Ac certa ſpes lactaverat ſtomachum meum,
Dum læta celebrat feſta Chremetis domus,
Totique convivia ſenatui parat,
Fore juſculum pinguiſſimum dandum mihi.
Dabitur. Num ſpes fefellit? *Oll.* præter un-
dam ſordidam,
Quæ forte lotis lancibus manſit ſuper
Nil hac in olla video. *Speſ.* Nec mea ol-
lula

 Feli-

* Ferentes ollas.

Felicior vix fruſtulum panis tenet.

Creax. Ego panis aliquid video; ſed nigerrimi,
Et mucidi. *Dabitur.* Quis igitur hanc offam *Date*
Abſente vobis? *Oll.* Sordidus quidam puer:
Poſtquam diu rogavimus, tandem pede
Lento culina prodiens, *ecce hic*, ait:
Habetis offam, aſt ultimam. Hoc per me jubet
Vobis referri Domina mea Tenacia.
Et exequar ego hæc juſſa melius, quam Date,
Qui vos quotidie prodige pavit nimis.

Dabitur. Ut debitas Tenacia, & puer luant
Pœnas ſuæ tenaciæ, an veſtram mihi
Spondetis operam? ſpondeo viciſſim omnibus
Sub veſperum lautiſſimam cœnam, mea
Opera parandam. *Oll.* Quid igitur agamus jubes?

Dabitur. Sequamini. Docebo. *Oll.* Pro cœna omnia
Audebo. *Speſ.* Me vel ſola vindicta ſtimulat.

Creax. Utrumque me; ſed cœna præ Tenacia.

Actus Tertius.

Scena Prima.

Sparmuncus, *Sordidellus*. *

Sord. Hæc omnia ergò in unica cœna hoſpites
Putas, vorabunt? *Spar.* omnia hæc ſaltem Parens
Appo-

* Scena refert in Domo Chremetis apertam, & inſtructam Penuariam cellam.

Apponet. *Sord.* O vos prodigos! & cui bono
Aprina? num ſuilla non ſatis bona
Pro civibus? deinde Cervini Hinnuli
Hic armus ad quid? Nónne vervecis caro
Aſſata ſat depelleret famem hoſpitum?
Tot ſumptibus cur emere pretioſas juvat
Carnes ferarum? *Spar.* Sumptibus nullis ſtetit
Nobis Ferina hæc. Omnia *Dabitur* ſua
Induſtria collegit. Hic ſua manu
Et cervum & aprum ſtravit, & penui intulit.
Quin inferet adhuc plura. Tu fac, ſingula
Cuſtodias, dum mater hæc ferri petat
Sibi in culinam. *Sord.* Dexterè cuſtodiam.*
Jam clauſa rite quadruplici ſera penus,
Inſtructa meliùs, quàm penus Matris meæ.

Scena Secunda.

*Sordidellus, Ollander, Speſuppus.***

Oll. Nónne hæc domus Chremetis eſt, in qua hac die
Convivium paratur? *Speſ.* Huic convivio
Afferrimus opportuna, genus omne volucrum,
Turdos, Alaudas, Fulicas, Lagopodes,
Ficedulas, & quidquid in ſylvis volat.

* Abit Sparmuncus. Sordidellus penuariam cellam claudit.

** Perſonati, Ollander ut puer venatorius, Speſuppus ut piſcatorius ferentes lepores, aves, cancros &c.

Sord. Ite, ite. Nos nil emimus his de mercibus,
Plùs quàm ſatis! jam inſtructa ſtat nobis penus.
Oll. Pretii nihil depoſcimus pro his mercibus,
Soluta jam ſunt omnia. *Sord.* Soluta? *Spef.* *Dabitur*
Præmittit hæc, dum plura mox ipſus redux
Ferat ad culinam. *Sord.* Cedite ergò iſthæc mihi;
Includo penui. *Oll.* Non tibi, at Domino *Date*
Tradenda juſſit *Dabitur.* *Spef.* ubi modo eſt *Date?*
Sord. Ubicunque ſit, mihi cedite hæc. Locum *Date*
Jam ſupplet alius; nempe ego. *Oll.* Non cedimus.
Graviter nimis præcepit utrique *Dabitur*,
Ut nemini iſthæc onera, niſi ſoli *Date*
Tradamus, atque in proprias quidem manus.
Sord. Hoc credo. Nempe *Dabitur* eſt neſcius adhuc,
Chremetis hodie ex ædibus pulſum *Date*,
Me ſubſtituto. Teſtis en! clavis. Igitur
Hîc ſarcinas deponite. *Oll.* Exſpectabimus,
Dum Dabitur ipſus redeat. Hic ſi juſſerit,
Mox cuncta deponemus in manus tuas.
Spef. Sed interim hauſtum, & juſculum nobis dabis;
Nam ſic ſpopondit *Dabitur.* *Sord.* Hauſtum & juſculum?
An non ſolutus omnis eſt vobis labor?

Quid

Quid impudentes ergo plura poſcitis?
Speſ. Quia ſic ſpopondit *Dabitur. Oll.* Et certè *Date*
Ultro dediſſet. *Sord.* Prodigus nimis *Date*,
Hinc jure pulſus ædibus. *Dabitur.* Tamen
Interrogabo, dum redierit. Interim
Inferius in cubiculo domeſtico
Poteſtis exſpectare cum hiſce mercibus.

Scena Tertia.

Sordidellus ſolus.

Iſte *Dabitur* non admodum bonus mihi
Videtur eſſe œconomus. Ad cœnam unicam
Quid tantus apparatus? integra volucrum
Caterva, turdi, alaudulæ, Lagopodes?
Vendenda ſunt ſuperflua. Emptorem modò
Reperire detur nobilem. Pro civibus,
Quos hoſpites habebimus hodie, ſatìs
Supérque ſunt farcimina, & lardus oleri
Impoſitus. Irritanda non eſt ferculis
Adeò ſuperbis civium vorax gula.

Scena Quarta.

Sordidellus, Creax. *

Creax. Heus Parvule! edic, obſecro, an domi eſt *Date?*
Sord. Non amplius in his ædibus *Date* eſt locus.
Succeſſor ego ſum. *Creax.* Gratulor tibi, & mihi
Sord. Quis ergo tu? *Creax.* Cellarium prodit habitus,
Cau-

* Perſonatus ut puer cellarius cum corbe.

Caupona tibi erit nota, quam ad Corvum vocant.

Sord. Si nota ſit, quid inde? *Creax.* Nobiles viros
Peregrina rheda advexit. Inſtrui volunt
Lautum ſibi convivium; ſed non ſatis
Inſtructa penus eſt noſtra. Præſertim alite
Caremus; hinc te nomine Dominæ meæ
Rogare jubeor, ſi quid in veſtra penu
Volucrum, aut Ferinæ forte ſit vobis ſuper,
Cedas mihi. Reddemus alio tempore
Vices, vel ubi mavultis, exſolvam ſtatim
Præſenti in ære, quidquid ex veſtra penu
Conceditis. *Sord.* Num loculus eſt fartus tibi?

Creax. Ecce aureum! hic ni ſufficit, vide alterum.

Sord. Bene eſt. Moras fer perbreves, donec domum
Redux ſit iſte Dabitur; & dabo copiam
Volucrum & ferarum. *Creax.* Ferre non poſſum moras;
Nam prandium urgent hoſpites. Da, quæ jam habes
Præſentia. *Sord.* Veni, ſequere. Luſtrabo Penum *

Sord. Ecce! hic Aprugnam; ſi placet, vendam. *Creax.* Placet.
Quid exigis pro libra? *Sord.* in Hoſpitis tui,
Virique honeſti gratiam tantùm exigo

Tri-

---

* Sordidellus aperit cellam Penuariam, & Creaci oſtendit ſequentia.

Triginta crucigeros, utique pretium leve.
Creax. Jam ponderâſti? quot gravis libris caro hæc?
Sord. Nil ponderemus. Judico ex viſu. Decem
Conficiet illa pondo. Florenos dabis
Si quinque, ſum contentus. *Creax.* Ultra quid ſuper
Vendibile? *Sord.* Armus ecce cervini hinnuli!
Placétne? *Creax.* Quantum poſcis? *Sord.* hunc lepuſculum
Addamus, & ſic ſolve florenos decem.
Creax. Etiam alites, ſi vendere has voles, emam.
Sord. An tot tibi pecuniæ? aureus duplex
Non ſufficit ſolvendo. *Creax.* Numiſma hic vides
Aliud, monetam Hiſpanicam. *Sord.* Quale hoc genus
Pecuniæ? tale quid apud Aviam meam
Nunquam ſcio vidiſſe me. Quantum valet?
Creax. Induſtrius Mercator aureis tribus
Expendet, imo quatuor. *Sord.* Exſpecta parùm,
Numerabo, qnantùm ſumma conficiat prior.
Attende ſis. * *Aprina florenos valet*
Quinque, totidem cervina cum Lepuſculo.
Hæc ergo faciet ſumma florenos decem.
Nunquid? etenim bis quinque conficiunt decem?
Creax. Ad regulas ſtrictiſſimæ arithmeticæ.
Sord. His addo pretium pro avibus. At quales aves

Hæ

* In tabula nigra notat.

Hæ ſunt? profecto in ædibus Aviæ meæ
Non nidulantur. Quomodo vocari ſolent?
Creax. Eſt paſſerum ſylveſtrium quoddam genus,
Turdi vocantur. *Sord.* Paſſerum ſylveſtrium?
Quanti ergò vendam? *Creax.* ne diutius moras
Lentas trahamus, pro omnibus ſimul cape
Hiſpanicam hanc monetam, & interim vale.
Quod reſtat extradendum, id in honorarium
Tibi relinquo. *Sord.* Gratias. Vale. *Creax.* Vale. *

Scena Quinta.

Sordidellus ſolus.

Cellarius hic eſt admodum ſimplex puer.
Quodcunque pretium poſcitur, ſolvit ſtatim.
Oeconomus ego peritior ab Avia mea
Inſtructus uſque ad ultimum nummum ſcio
Certare cum vendentibus. Hodie tamen,
Dum vendidi ipſus, omnibus pretium grave,
Summúmque didici ponere. Et quantum unica
Lucratus hora! Quàm Domina Tenacia
Induſtriam mirabitur meam, aureum
Hiſpanicum ſi viderit! Aviæ tamen,
Matrique decet oſtendere hunc nummum priùs,
Nil ſimile námque viderint unquam, ſcio.

Scena

* Abit Creax cum corbe, in quam empta contulit. Clauditur cella Penuaria.

Scena Sexta.

Sparmuncus, Leribal, Sordidellus.

Spar. Quo Sordidelle? *Sord.* cum licentia tua
Ad matrem, & Aviam. At illico redux ero.*
Ler. Egregius, & Formoſus omnino puer
A Matre ſubſtitutus eſt noſtro Date.
Spar. Non forma, ſed fidelitas, & parcitas
In ſervulo requiritur. Credas velim,
Hic Sordidellus non erit tam prodigus,
Rerúmque diſſipator, ut tuus Date.
Ler. Hoc credo; Sordidellus & re, & nomine,
Et moribus erit carior Matri, & tibi.
Utrique cùm ſit ſimilior. *Spar.* Quid? ſordidam
Matrem aſſeris? *Ler.* nil aſſero. Satis probant
Facta omnia, & teſtantur hoc omnes ſimul
Domeſtici. *Spar.* Domeſticis ergò favet
Plùs, quàm Parenti, filius? *Ler.* Domeſticis
Non faveo plùs, quàm oportet; at cuivis ſuum
Eſſe tribuendum judico. *Spar.* Hoc eſt ſcilicet
Diſperdere bona propria, quò fiat ſatis
Servis voracibus. *Ler.* Laboranti bovi
Obſtruere non decet ora. *Spar.* Sic bos pro bove
Perorat. *Ler.* Iſta parciùs frater! bovem
Si nominare me audeas, huic bovi
Validum eſſe cornu ſenties. - -

Scena

* Abit.

Scena Septima.

Chremes, Leribal, Sparmuncus.

Chremes. - - - - - Quid filii?
Miſcetis, ut puto, jurgia. *Spar.* Parentis meæ
Defendo honorem, quam improbè audet Filius
Arguere tanquam ſordidam, & parcam nimis.
Chrem. * His parce verbis Nate, præſertim hac die
Eſt liberalis Mater, imò prodiga.
Convivium lautiſſimum toti parat
Senatui. *Ler.* Sed poſtmodum dies decem
Jejuna maneat tota familia. *Chrem.* Ah ſile!
Obſecro, ſile, ne Mater audiat. Secus
Væ tibi, mihique, & omnibus domeſticis.
Spar. Fores, puto, pulſantur. *Chrem.* Intrate. - - - -

Scena Octava.

Chremes, Leribal, Sparmuncus. Tres ſtudioſi Muſici.

Muſ. 1. - - - - - Domine
Senator obſervande, quam civis recens
Tibi dignitatem contulit, noſtra pariter
Fauſtam precantur vota, nec domui tuæ
Tantùm, ſed urbi, & Patriæ toti utilem.
Chrem. Qui vos? liceat interrogare.

Muſ.

* Ad Leribal.

Muſ. 2. - - - - Muſicos
Ex aſſe devotiſſimos tibi vides.
Muſ. 3. Convivium ſolenne, quod hodie paras,
Condire noſtris fidibus, & feſtam diem
Animare. *Spar.* Jámne afflavit intentas nimis
Nares culinæ nidor? aut quis inſtrui
Convivium his in ædibus jam detulit
Veſtras ad aures? *Muſ.* 1. unus è Domeſticis
Veſtris, vocatur Dabitur. *Muſ.* 2. Hic Domina ſua
Jubente nos conduxit hodiernam in diem.
Chrem. Domina ſua jubente? *Muſ.* 3. nec Domino minus
Optante. *Chrem.* Domini Muſici, gratus mihi
Hic veſter eſt adventus; at citò nimis
Adeſtis: ante veſperam ſeram hoſpites
Exſpecto nullos. Poteritis alibi interim
Aliquid mereri. *Muſ.* 1. Non ſumus famelici,
Aut æris avidi, ut omnibus promiſcuè
Locemus operam. *Muſ.* 2. Ducat id honori ſibi
Dominus Senator, Muſicos, quales ſumus,
Sua obtuliſſe obſequia. *Muſ.* 3. Nulli civium
De plebe venderemus has noſtras fides
Etiam ære multo. *Chrem.* Non cupio veſtras fides
Emiſſe. Poſtquam Muſica hac nocte fuerit
Finita, poteritis referre ſingulas

 Che-

Cheles, fidéſque, & integras quidem, niſi
Rumpatis ipſi. *Spar.* Quin mea pace poterunt
Abeſſe penitus Muſici è noſtra domo.
Chrem. Non, non. Jubente Matre Muſicos decet
Quocunque pretio adhibere. Vos ergò Domini
Sub Vêſperam redite. *Muſ. 1.* Quin manebimus,
Dum jam adſumus, ſi liceat, in domo tua.
Chrem. Si placeat. Agedum Leribal, duc Muſicos
Ad proximum cœnaculum. *Ler.* Placeat ſequi.

Scena Nona.

Chremes, Sparmuncus.

Chrem. Nonne iſte Dabitur providus plane eſt puer?
Diſponit omnia, lætus ut fluat dies,
Feſtúsque. *Spar.* Sed væ à Muſicis vinariæ
Cellæ. Senatus omnis, omnes hoſpites
Non haurient tot pocla, quot ſoli ebibent
Triumviri iſti Muſici. *Chrem.* Sine, ebibant,
Proficiat. hodie Mater aperit omnia,
Cellam & culinam prodigè. Quærit ſibi
Famam celebrem, & gloriam præ fœminis
Omnibus in urbe tota, & audiri cupit
Magnifica, ſplendida, prodiga, & conjux novo
Digniſſima Senatore. Sic ſplendor novus
Toti familiæ accreſcet, atque in proxima
Ele-

Electione conſulis novi omnium
Me vota poſcent civium, & Mater tua
Se conſulis videbit uxorem. *Spar.* Precor,
Ut impleantur vota Matris, & Patris.

Actus Quartus.

Scena Prima.

Chremes, Leribal.

Chrem. Induſtriæ Matris relinque Leribal
Curam culinæ. Si modò friget focus,
Sub veſperam jam ardebit. Ad cænam hoſpites
Sum juſſus invitare, non ad prandium.
Quid ligna comburantur incaſſum diu?
Et ante tempus? *Ler.* opto, ſint prompta omnia
In tempore, & parata; ſed, quæ neſcio
Animum remordet cura: pepuliſti domo
Puerum innocentem, & optimè meritum Date.
Cauſam innocentis timeo, ne fors vindicet
Semper ſuetus tegere pupillos Polus.
Chrem. Uxor pepulit ex ædibus Date, non ego.

Scena Secunda.

Chremes, Leribal, Apparitor.

App. Colende Domine, curiæ lumen novum,
Uterque conſul cum Senatorum tribu
Humillime ſe, meque commendant tibi,

Tuæque Dominæ conjugi. Hora tertia,
Vel ſi jubes, ſecunda in ædibus tuis
Omnes ſua præſentia gratiſſima
Non deſinent recreare collegam novum.
Chrem. Quid dicis? hora tertia? hora ſeptima
Sub veſperam, atque ad cænulam, non prandium
Exſpectat uxor hoſpites. *App.* Num prandium,
Num cænulam vocetis, hora tertia
Erimus parati. *Chrem.* Sed cibi non tam citò
Erunt parati. Leribal, Matrem mone,
Mox ad culinam properet, & quantùm poteſt,
Feſtinet, ut mox tertia hora ferculis
Inſtrata menſa excipere poſſit hoſpites.
Ler. Difficilis hæc Provincia, hanc Matri Pater
Impone: nam Sparmuncus in Matrem poteſt
Plus, quàm tu, & ego. *Chrem.* Sparmunce! Sparmunce! - -

Scena Tertia.

Accedit Sparmuncus.

Chrem. - - - - - - - - - - Moneas
Citò Parentem: tertia hora conſules
Hic adfuturos. *Spar.* Tertia hora? *Chrem.* ſic mihi
Modò Dominus apparitor. *Spar.* Nondum Parens
Paravit ullum ferculum. *Chrem.* Ergo præparet.

Indu-

Induſtria coqua eſt Mater. Ubi modò velit,
Parare poterit omnia brevi tempore.
App. Huic in culina pariter offero meam
Operam, manumque. *Spar.* Si modo Dabitur redux
Adeſſet; ut quos Mater exſpectat diu
Cancros, avesque afferret. *Chrem.* An nondum redux
Advenit? *Ler.* Ipſus miror, ubi tandem hæreat.
Chrem. Huc Staſime! Staſime! Stolprio! - -

Scena Quarta.

Perſonis prioribus accedunt Staſimus, & Stolprio.

Staſ. - - - - - - - - Quis nos vocat?
Chrem. Totam per urbem currite, extra mœnia
Urbis etiam perquirite, ubi tandem hæreat
Iſte dabitur. *Staſ.* Here, nec pedem, quin nec manum
Movebimus nos, quamdiu in noſtra domo
Manebit iſte Sordidus nimis puer,
Qui ſubſtitutus eſt male expulſo Date.
Spar. Cur hoc? quid in vos iſte peccavit Puer?
Stolp. Hauſtum negavit. *Spar.* Quid opus hauſtu hoc tempore?
Ad veſperam exſpectate. *Staſ.* Nos ad veſperam?
Stolp. Diu ante prandium omnibus Domeſticis
Semper dedit Cereviſiæ potum Date.
Staſ. Jam ſervio annis quatuor his in ædibus,
Non patiar, abrogetur antiquiſſimus

Hic mos. *Stolp.* Priùs diſcedimus. *Spar.* Diſcedite.

Chrem. Simus boni. Quem petitis hauſtum, habebitis
Largiſſimum hodie; ſed periculum in mora
Nunc urget: eſt quærendus, ubicunque hæreat
Iſte Dabitur, & urgendus, ut citus domum
Redux culinæ parta quæcunque inferat.

Staſ. Quid, Stolprio, faciamus? *Stolp.* hac adhuc vice
Obediamus. *Appar.* Suaſerim: ſecus mea
Authoritas compellere invitos poteſt.

Scena Quinta.

Chremes, Leribal, Sparmuncus, Apparitor.

Chremes. * Mox adſuturum Dabitur, & ſecum feras,
Volucresque ſine numero culinam prodigè
Jamjam involare nuntia Matri. Focum
Modò excitet. *Spar.* Monebo; at hora tertia
Jam fore paratam cœnulam, promittere
Non audeo. - - - - - -

Scena Sexta.

Chremes, Leribal, Apparitor.

Appar. - - - - Nil intereſt, etſi cibi
Nondum parati; dummodo vina interim
Menſæ

* Ad Sparmuncum.

Menſæ inferantur. Conſules, ſi non ſtatim
Vorare poterunt, dummodo ſtatim queant
Potare, facile perferent mecum moras.

Chrem. Et Muſici adſunt: conſules ſuſpendere
Sua arte poterunt. *Appar.* Conſules ſuſpendere?

Chrem. Hoc eſt, morari Muſica, ne ſentiant
Dilata cænæ tempora. *Ler.* An neſcis Pater,
Abiiſſe cunctos Muſicos noſtra è domo?

Chrem. Ergo revocentur ocyus. *Appar.* Ubi hi Muſici
Habitare ſuêrunt? ego vocabo ſine mora.

Chrem. Non, non ſuperba Muſicis eſt indoles,
Sibi vix honori ducerent, ſi Apparitor
Illos vocaret. Tu voca illos Leribal.

Ler. Si centies vocavero, nunquam amplius
Ad nos redibunt graviter offenſi nimis
Hi Muſici. *Chrem.* Cur? *Ler.* integrâ horâ, & amplius
Intra domum morantibus nemo obtulit
Vel guttulam vini unicam. Quin denique
Cereviſiam tantùm petentibus puer
Crudus negavit. *Chrem.* Sordidellus? *Ler.* En adeſt
Hic ipſe.

Scena Septima.

***Chremes*, *Apparitor*, *Leribal*, *Sordidellus*.**

Chrem. - - Sordidelle! Dominis Muſicis
Hauſtum negâſti? *Sord.* Non negavi; ſed modò
Admonueram, exſpectare veſperam velint.

Si non velint, tunc pace diſcedant mea.
Sic ergo diſceſſere. *Chrem.* Factum peſſimè.
Sine Muſicis qui conſules ſuſpendere
Poterimus usque ad cænulam? *Sord.* de Muſicis
Ne Domine ſis ſollicitus. Alios novi ego,
Si vis, voco. Morantur in vicinia
Chrem. Ergo propera, fac tertia hora ſe domi
Meæ, vel ante tertiam ſiſtant * - -
Appar. - - - - - - Pedes
Jam pruriunt. Cum Conjuge licebit tua
Etiam mihi ſaltare. *Chrem.* Si conjux velit,
Conſentio. *Appar.* Cur nolit? etiam cum conſulis
Uxore nuper ſtrenuè noctem integram
Saltando traduxi. - - - - - -

Scena Octava.

Chremes, Leribal, Sparmuncus, Apparitor.

Spar. - - - Juva me Leribal.
Omnem penum nos excutere Mater jubet,
Et ad culinam ferre, quêis providus heri
Dabitur Penum inſtruxit. *Chrem.* Paratam ergo Parens
Promittit hora tertia cænam fore?
Spar. Id neutiquam promittit; Interea tamen
Quidquid poteſt, tentabit, & præſentia,
Dum plura Dabitur afferat, pro cænula
Aptabit. *Chrem.* Imus ergo, Matri reddimus
Leves

* Abit Sordidellus.

Leves labores. *App.* Offero etiam operam meam.

Spar. Nil in culina Apparitore nunc opus.
Tantum coquas turbaret. *Chrem.* * age, redi modò
Ad curiam, atque nomine uxoris meæ
Toti refer ſenatui: hora tertia
Si venerint, gratiſſimos fore hoſpites.

Spar. Sed gratiores, ſeriùs ſi venerint.

Appar. Renuntiabo ſedulò, & quidquid ſiat
De conſule, meam ſpondeo præſentiam
Non defuturam in tempore. *Chrem.* Interea vale.

Scena Nona.

Chremes, Leribal, Sparmuncus. **

Spar. Hic erit Aprugna. Leribal Matri hanc feras ***
Et hac in olla, credo, cervini hinnuli
Lumbus recens. *Chrem.* Hunc cede portandum mihi

Ler. **** Sparmunce, nihil hic video. *Chrem.* Nec quidquam ſuper
Eſt hac in olla. *Ler.* Nec lepus, nec alites,
Quas attulit heri Dabitur, apparent. *Spar.* Penum
Nempe ſpoliavit, antequam hinc abiit, Date.

Ler. Ne frater hanc injuriam Date inferas.

* Ad Apparitorem.
** Aperiunt Penarium, ac luſtrant.
*** Tradit ollam adhuc clauſam, tum ad aliam.
**** Poſtquam oblatum vas luſtravit.

Scena Decima.

Perſonis Prioribus accedit Sordidellus.

Sord. Jam conſtituti Muſici hora tertia
Promptiſſimi aderunt, atque - - *Chrem.* Non eſt Quæſtio
De Muſicis. Sed vacua cur tota eſt Penus?
Cervina, Aprina, & alites, demum & lepus
Quonam avolârunt tam cito? *Ler.* Neſcis Puer?
Tuæ fuerunt traditæ cuſtodiæ.
Sord. dexterrimè cuſtodii. Tantum inſpice
Nigram hanc tabellam. * *Cer.* *Aprina florenos valet*
Quinque. Totidem cervina cum Lepuſculo.
Numerando totum. Summa Summarum decem,
Floreni, aves bis adde - - *Sord.* pro his certi nihil
Volui paciſci. Paſſerum tantùm genus
Sylveſtre fuerat. *Cer.* Paſſerum? Turdi decem
Fuere, ſcis Sparmunce. *Sord.* Quæcunque fuerint
Volucres, ſolutæ ſunt, & affatim. vides **
Chrem. An vendidiſti forſitan? - *Sord.* pretio gravi.
Vides monetam hanc? noſcis? eſt Hiſpanica.
En! quantus ego ſim œconomus. *Ler.* Egregius, Pater,
Tibi grâtulor, Matrique. Magnificam hac die
Senatui, & conſulibus hora tertia
Cænam

* Leribal legit ex tabella.
** Oſtendit nummum aureum.

Cœnam inſtruètis. *Chrem.* O improvide nimium puer!
Quid Mater, hæc ſi audierit? *Ler.* Huic citus refer
Sparmunce, videat ipſamet, quàm induſtrium,
Fidumque ſubſtituerit expulſo Date
Oeconomum. *Chrem.* Inanis ergo tota ſtat Penus?
* Quis juſſit, ut divenderes, quæ hanc in diem
Tanta Dabitur induſtria collegerat?
Quid nunc agendum filii? *Ler.* Mater coquat.
Chrem. Quid coquat, ubi nihil? *Ler.* ſtrenuè exercens manum
** Prodat, quod aliquid facere de nihilo queat.
Chremes. * Procul hinc puer maleſane! *Sord.* cur iraſceris?
Non vendidi, niſi ſuperflua, & quidem
Pretio ſatis magno. *Chrem.* Superflua? & tamen
Penarium eſt inane? *Sord.* Sed rerum omnium
Ædes abundant copia; namque Dabitur
Paulo antea ſubmiſit ingentem alitum,
Leporum, & ferarum copiam, quam civitas
Tota haud queat conſummere in cæna unica.
Spar. Quid? Dabitur, inquis, copiam paulo antea
Submiſit avium? *Sord.* Fulicas, Lagopodes
Ficedulas, & neſcio, quæ denique
Avium, & ferarum genera. *Chrem.* Ubi ergo hæc omnia?

Sord.

* Ad Sordidellum.
** Ad Sordidellum.

Sord. Bini attulere Bajuli in noſtram domum;
Sed noluerunt tradere in manus meas,
Donec rediret Dabitur ipſus. *Spar.* Bajuli
Iſti modò ubi ſunt. *Sord.* In Domeſtico interim,
Et infimo cubiculo exſpectant. *Chrem.* Citò
Sparmunce, quidquid bajuli hi ſecum ferunt,
Matri ad culinam deferas. *Spar.* Ergò ſequere
Me Sordidelle, & adjuva. *Sord.* Stupebitis
Quæ Dabitur iſte miſit. Integra civitas
Dixi, haud queat conſumere in cæna unica.
Factum igitur à me eſt optimè, quòd vendidi
Superflua adeò pro quibus nummum tene
Hiſpanicum, cui forte non habes parem. *

Scena Undecima.

Chremes, Leribal.

Chrem. Reſpiro. quin induſtriam laudo Pueri.
Tanta haud fuiſſet parcitas iſti Date,
Ut venderet ſuperflua, in domeſticos
Ille erogâſſet, quidqud ad cænam hoſpitum
Superfluum vidiſſet. En nummum aureum
Quaſi repertum. Quanta jam prima die
Specimina Sordidellus Oeconomi dedit.
Ler. Examinare ad Lydium lapidem Pater
Liceat monetam hanc. ** Ecce, quæ prima die
Specimina Sordidellus œconomi dedit.

Chrem.

* Dat chremeti monetam à creace prius acceptam.
** Examinat, dein Patri reddit.

Chrem. Adulterinam credis? *Ler.* explora ipſemet. *

Chrem. Eſt plane adulterina. Sed Staſimus redit.

Scena Duodecima.

Chremes, Leribal, Stolprio, Staſimus.

Chrem. Quid eſt? ubi hæret Dabitur? *Staſ.* immenſum nemus
Percurrimus; de Dabitur eſt viſum nihil.
Sed dum redimus, urbis ad Portas vigil
Interrogatus: *ante tres horas*, ait,
Vel quatuor jam Dabitur à ſylvis redux
ſubivit urbem, bajulos ſecum trahens
Geminos, onuſtos corbibus, ſcatentibus
Omni ferarum genere. Chrem. Jam ante quatuor
Horas ſubierit Dabitur urbi limina?

Stolp. Nempe antequam juſſiſtis incaſſum nemus
Nos pervagari, & quærere foris, qui domi
Jam fuerat. *Ler.* At nondum domi eſt. *Chrem.* Nempe in foro
Hærebit, aliqua ut coëmat. Interea bonum eſt,
Quod pro culina copiam rerum omnium
Per bajulos præmiſerit. *Staſ.* Sed Bajuli
Quò detulêre miſſa? vel ubi ſunt modò.
Tota domo quæruntur, & quidem anxie

Chrem. Quæruntur? *Ler.* in cubiculo domûs infimo

Hære-

* Reddit Patri monetam cum lapide lydio.

Hærere Sordidellus aſſeruit. *Stolp.* Nihil
De bajulis ibi repertum. *Chrem.* At ſarcinæ
Saltem relictæ à bajulis noſtra in domo?
Staſ. Nihil repertum, ut audio, prorſus nihil.
Stolp. Hinc juſſerat Sparmuncus, ut nos vix domum
Reduces, licet labore fracti plurimo,
Curramus iterum, & urbe tota bajulos,
Et Dabitur inquiramus. *Staſ.* At negavimus
Novos labores, ni prius vires novo
Recreentur hauſtu. *Chrem.* Vendita è penario
Præſentia, & nil denuo illatum novi?
An falſa Sordidellus, & tanta quidem
Audacia affirmârit? *Stolp.* allatos quidem
A Bajulis lepores, avesque plurimas
Affirmat etiam ancilla; ſed, quo neſcio,
Rurſus aliò translata ſunt hæc omnia
A Bajulis abeuntibus. *Staſ.* Certe nihil
Modò repertum in ædibus, prorſus nihil.
Ler. Tibi gratulor, Matrique. Magnificam hac die
Conſulibus, & ſenatui hora tertia
Cænam inſtruetis. *Chrem.* Sequere Staſime, Stolprio,
Et Leribal. Quæramus - - *Ler.* ubi? quid? quomodo?
Chrem. Ubicunque. * *Staſ.* Nimium feſſus ego, niſi priùs
Accepero hauſtum, me movere non queo.
Stolp. Ego abſque potu Spiritum ultrà non traho.

Actus

* Abit cum Leribal.

Actus Quintus.

Scena Prima.

Chremes, Leribal.

Chrem. Qualis miſeria! nate, fatali hac die,
Etſi ſenator conſulere mihi neſcio.
Ler. Senatus eſt monendus, atque conſules,
Ut remaneant, cænentque in ædibus ſuis.
Chrem. Hæc quanta proſtitutio? quid civitas
Quid dicet? invitáſſe Chremetem domum
Suam ſenatum, & conſules ad ſplendidam
Cænam, & epulas lautiſſimas; dein tamen
Renuntiáſſe denuo, ut maneant domi.
Ler. Eſt magna proſtitutio: at major tamen,
Si jam domum ſubeuntibus poſſis nihil
Apponere. Aut quid denique appones? Penus
Tota vacuata. Quidquid etiam providus
Per bajulos ſubmiſerat Dabitur, nihil
Ex omnibus pervenit ad noſtras manus.
Chrem. Et quò, obſecro, devenerint hi bajuli,
Et ipſe Dabitur?

Scena Secunda.

Chremes, Leribal, Apparitor.

Appar. - - Denuo adſum Nomine
Senatûs, atque conſulum, & ſancte tibi
Tuæque Dominæ conjugi affirmo, fore
Omnes ad unum, nemine excepto, ædibus
His congregatos illico hora tertia.
Omnes orexin afferent lectiſſimam:

Nam

Nam prandio abſtinuimus omnes, ut gulâ
Sic provocatâ melius in cibos ruat
Hactenus inanis ſtomachus. Inſuper quoque
Gratum fuit ſenatui audire celebres
Jam conſtitutos Muſicos domi tuæ,
Et ipſe conſul ſenior, etſi vix heri
Podagra levatus conjugis tamen tuæ
In gratiam ſaltabit, & primus quidem.
Crem. Ah Leribal! *App.* quid ingemis? & ad nuntia
Tam læta?

Scena Tertia.

Perſonis prioribus accedunt Codrus & Codrillus *

Cod. - - Salve Domine, præſto jam ſumus.
Codril. Jam ſonuit hora tertia in ſtomacho meo.
Chrem. Qui vos? *Cod.* videtis utique. Muſici ſumus.
Codrill. Chely, lyraque ludimus ſuaviſſimè:
Ler. Vos Sordidellus nonne conduxit? *Cod.* levi
Pretio. Crucigeris quinque contenti ſumus.
Ler. Quàm Sordidellus ordinat dextrè omnia.
App. Quid? Muſici vos? noſco mendicabula.
Tantúm citò proripite vos. Vel quis dedit
Licentiam, ut ſubeatis urbem? *Codr.* Muſicis
Ubique lucrum quærere modeſte licet
Appar. Vos Muſici non eſtis. Urbem ſine mora
Purgate mendicabula, aut lyram tuo
Illido capiti. *Codrill.* Eamus. iſte Apparitor
Non

* Codrus chelin, Codrillus lyram portat.

Non eſt amicus Muſicæ, ut video, Pater.
Cod. Parœmia eſt: non ſaltat aſinus ad lyram.
App. Quid? Aſinus ego? * *Ler.* ſiſte impetum. ſcis maledica
Eſt lingua mendicantibus. Cures nihil.
Appar. Sit eſt: latrantes mopſulos ſpernit leo.
Sic & ego mendicabula.

Scena Quarta.

Chremes, Leribal, Apparitor.

Chrem. - - - - Ah Apparitor!
Eſto, obſecro, hodie Conſul. *App.* Ego Conſul? *Chrem.* mihi
Ut Conſulas. *App.* Senator ipſe es, & quidem
Recens creatus. *Chrem.* Caſus hodiernus tamen
Meam, fatebor candidè, ſapientiam
Exhaurit omnem. Quamdiu ſtat curia
In civitate ſimilis huic nunquam accidit.
App. Quis ergo caſus ille mirus? *Chrem.* Leribal
Hunc explica. Me turbine rotatum caput
Nihil ſinit prudenter, & rite eloqui,
Prout tamen Senator - -

Scena Quinta.

Accedit Sparmuncus.

Spar. - - - Accurras, Pater,
Cito ad culinam. Mater ex alta trabe
Semet parat ſuſpendere. *Appar.* An cocta omnia?

* Fuſte impetit mendicos, quem continet Leribal, abeunt Codrus & Codrillus.

Aliàs prohibeo. *Spar.* Námque ſe tantum probrum
Et civitatis totius ſannas negat
Perferre vivam poſſe. *App.* Quas ſannas timet?
Spar. Quòd hoſpites vocaverit tantos, quibus
Si venerint, nil poterit apponere. *Appar.* Probrum
Hoc utique dignum publicis ſannis foret.
Chrem. Sparmunce, Matrem hortare, cœpta ſtrenue
Perficiat, atque altiſſimam trabem eligat,
Funémque: nam ſuſpendii fiam comes.
Præſtat mori, quàm vivere infames. *Ler.* Pater!
Chrem. Valete Filii! valeto Apparitor!
App. Quo pergis? *Chrem.* Ad - - *Ler.* cerno dabitur * - - -

Scena Sexta.

Chremes, Leribal, Sparmuncus, Apparitor, Dabitur.

Chrem. - - - - O quàm domus
Te tota cupidè exſpectat! ubi, quam legeras
Prædam ferarum & alitum? *Spar.* in noſtras manus
Adhuc nihil pervenit. Hinc Mater quoque
Nihil parare potuit ad cœnam. *Dabitur.* Exue
Sparmunce curam. Providus ſatis fui.
Jam

* Viſo Dabitur ſubſiſtit iterum Chremes.

Jam toſta, frixa, elixa ſunt modo optimo
Ter delicata fercula. Hoſpites modò
Advenerint, accumbere poterunt ſtatim.
Spar Jam cocta dicis fercula? à quo? *Chrem.* Nil juvat,
A quo; modò parata ſint. Vitam mihi,
Meæque reddis conjugi ô chare Dabitur.
Sed dic, ubi ſunt fercula hæc? quanam in domo
Parata? num cauponis? *Dab.* hæc fratris mei
Materfamilias, optima paravit coqua.
Ler. Fratris tui? num frater eſt aliquis tibi?
Et hac in urbe? *Dab.* proximam domum incolit
Sutoris. *Spar.* Anne ſutor eſt ipſus? *Dab.* nihil
Minus, ſed alium in urbe non habens locum
Divertit ad Sutoris interea domum.
Chrem. Cur non ad ædes illico adductus meas
Frater tibi chariſſimus? citò Leribal.
Accede fratrem Dabitur, & tecum reduc
Sub tecta promptus noſtra. Sparmunce interim
Matrem moneto, ut impetum ſuſpendii
Suſpendat, uſque in craſtinum ſaltem diem,
Dum cœna ſit finita. *

Scena Septima.

Chremes, Dabitur, Apparitor.

Chrem. - - - Domine Apparitor,

 Quanto

* Abeunt Leribal, & Sparmuncus.

Quanto pudori denique ereptus novum
Incipio trahere ſpiritum. *App.* Nec minus ego
Reſpiro. Jam timere ſtomacho cœperam,
Ne debeat redire jejunus domum.

Dabit. Quis ille, qui te tantus inceſſit pudor?

Chrem. Abſentia tua, tum Penus domeſtica
Omni apparatu vacua vix non hoſpites
A me vocatos turpiter in ædes ſuas
Remittere coëgiſſet. O quanto meo,
Et conjugis pudore. *Appar.* Quanto etiam mei
Stomachi dolore! *Dabit.* & tamen heri penarium
Jam ferculis inſtruxeram, queis hoſpites,
Si defuiſſent alia, potuiſſent ſatis
Honeſtè haberi. *Chrem.* Quidquid illatum eſt heri
Penario, illud omne vendidit puer
Improvidus. *Dabit.* Quis ille? num forſan Date?

Chrem. Non: Sordidellum nominant, quem iſti Date
Uxor hodie ſubſtituit, invito licet
Me plurimùm. *Dab.* Et cui vendidit tam improvidè.
Hæc Sordidellus? *Chrem.* ipſus ignorat.

Scena Octava.

Chremes, Leribal, Sparmuncus, Dabitur, Apparitor.

Sparm. - - - - - - Pater!

Chrem.

Chrem. An ſtrangulata Mater ex alta trabe
Jam pendet? *Spar.* equidem vivit; at tecum * ſatis
Contenta non eſt. *Dabit.* Scilicet quòd ſerius
Domum rediverim? *Spar.* quòd aliena in domo,
Et manu aliena juſſeris cibos coqui.
Quaſi ipſamet neſciret hanc artem, aut quaſi
Sutoris uxor conjuge Senatoria
Peritior ſit. *Dabit.* Quid parens poſſit tua
Novi; ſed alia ratio ſe prodet brevì,
Cur iſta Dabitur. *App.* Intereſt noſtrâ parùm,
An ſtrenua ſenatoris, àn pauperculi
Sutoris uxor fercula pararit, modò
Sint multa, ſint ſelecta, ſint digna hoſpite
Apparitore, & conſule. *Spar.* Interim tamen
Juravit, & per ſacra ter centum Parens
Juravit, ex his omnibus cibis, manus
Quos condiit aliena, guſtabit nihil.
Quin niſi modò neceſſitas ſumma premeret,
Nec ferculum ullum admitteret in ædes ſuas
Aliunde transportarier.

Scena Nona.

Perſonis prioribus accedunt Leribal, & Date.

Date. - - - - Frater, avida

* Ad Dabitur.

Materfamilias noſtra te exſpectat. Veni.
Spar. Quid audio? fratrésne Dabitur, & Date?
Dabit. Fratres ſumus, Sparmunce, Fratres, & quidem
Non dividendi ab invicem, pulſo Date
Nec Dabitur ultra in his manebit ædibus.
Valeto Chremes! *Chrem.* ſiſte! quò - - *Dabit* fratrem ſequor.
Patrem Familiæ uterque jam reperit novum.
Chrem Paterfamilias tuus ego fui, ſum, ero.
Maneto Dabitur. *Dabit.* Æde, qua pulſus Date ſt,
Nunquam manebit Dabitur. *Chrem.* Ah! neſcivimus
Date eſſe fratrem Dabitur. *Date.* At ſcitis modò,
Valete. *Spar.* * Siſte! ſiquidem à nobis paras
Diſcedere, prius fercula aliena è domo
Huc transferantur, effice. *Dabitur.* Anne ad vos putas
Ea pertinere? ſumptibus veſtris nihil
Horum coëmptum eſt. Alites, cancros, feras
Cervinam, Aprugnam, & quidquid in Penu fuit,
Induſtria mea ſola collegit. Voco
Teſtem Parentem. *Chrem.* Fateor, à triduo nihil
Æris petebas Dabitur; ad cœnam tamen
Lautam afferenda plurima per artes tuas
Promiſeras. *Dabit.* Promiſeram. Et nunquid jam heri Cellæ

* Ad Dabitur.

Cellæ intuli quàm plurima? At poſtquam
Date
Tam turpiter veſtra æde depulſum audii
Ultra juvare nolui ingratos lares.
Quæ ſpolia jam collegeram hac etiam die
Ex ſylva, & unda, bajulis binis dedi
Alio ferenda. Quin & allatas herì
Merces repetii non ſine innocuo dolo.
Fatebor etenim: ille hoſpitis cellarius,
Cui Sordidellus vendidit, quidquid ſuper
Penarium habuit, fictus, & à me fuit
Submiſſus. *Spar.* Et moneta, quam puer hic dedit,
Adulterina an pariter à manu tua eſt?
Dabit. Sit. Nil ſubeſt hic fraudis injuſtæ. Nihil
Detraximus. Pro re mea divendita
Vobis nihil debetur. Ad me pertinent,
Quæ mea peperit induſtria, feræ, & alites.
Mihi licet diſponere arbitrio meo,
Et fercula hæc conſumere, ubi, vel cum quibus
Placebit. *Ler.* Haud negare jus iſtud tibi
Quis poterit? *Spar.* an Senatui audebis ſuam
Præripere cœnam? conſules jamjam imminent
App. Præsensque jam eſt Apparitor. *Date.* Senatui
Ne cœna deſit, & quidem lautiſſima,
Age frater, invitamus ipſi conſules,
Urbiſque totam curiam. *Spar.* Num Conſules
In ædibus Sutoris excipere paras

Convivio ? *Date.* Eſt honeſtus hic civis,
Coqua
Materfamilias optima. Parata omnia.
App Inſtructa modò ſit cœna, ſive in ædibus
Sutoris, aut carnificis, intereſt parùm.
Ubicunque corpus, congregabuntur aquilæ.
Dabit. Te, Domine Chremes pariter, & tecum tuos
Et filios, & conjugem humaniſſimè
Ad cænulam invitamus in domo novi
Patrisfamilias. *Chrem.* Ah Dabitur! ah auree
Mi Dabitur! hoc me libera infauſtum probro,
Nec civitatis publico ludibrio
Ita objice Senatoris emeritum caput.
Dabit. Non quærimus ludibrium, aut probrum tibi
Inferre. Pulſus ædibus tuis Date eſt,
Nec Dabitur absque fratre remanere poterit.
Ne dividamur, ultima voluntas Patris
Sancivit. *Chrem.* Ergo & remaneat apud nos Date.
Munus reſume priſtinum. Claves ſtatim
Sparmunce, fac, reddantur. *Spar.* Has Mater dedit
Jam Sordidello. *Chrem.* Dederit; aſt ego volo
Iſti Date ut reddantur. Hactenus ſatis
Nimisque ceſſi conjugi. Oſtendam modò,
Quòd ſim ſenator, & Dominus in hac domo
Ler. Utinam Pater ſic ſapere conſtanter velis,
Chrem. Sparmunce, dixi, vade, quæ audiſti modò Refer

Refer parenti: Dabitur & Date agnitos,
Geminóſque fratres eſſe. Nullus in domo hac
Sine altero manebit. Hinc iſtum Date
Suſcipio rurſum priſtinum ad munus. Nihil
Opponere uxor audeat. * *Ler.* Sap:s Pater,
Felicitatem gratulor domui novam,
Dum redditus per Dabitur eſt nobis Date.
Date. Hinc maneamus? *Dabit.* omnia arbitrio tuo
Relinquo. Sequitur Dabitur, ubi præit Date.
App. Indifferens ſum pariter, atque vos ſequar,
Ubicunque cœnam ſtruitis. *Date.* Inſtructa in domo
Sutoris eſt. *Chrem.* Sed ocyus in ædes meas
Huc transferenda. Staſime! Stolprio!

Scena Decima.

Perſonis prioribus accedit Picillus.

Pic. - - - - - Hoſpites,
Quos advocari Dabitur & Date juſſeras,
Jam congregati in æde ſunt noſtra; hinc Parens
Juſſit moneri utrumque. *App.* Quos ergò Hoſpites
Præter ſenatum, & Conſules, & me, ad cœnulam
Vocâſtis? *Dabit.* aliquot Muſicos. *Chrem.* Huc tranſeant

* Abit Sparmnncus.

Hi Muſici cum ferculis, gratiſſimi
Nobis futuri: nam indigemus Muſica.
Date. Sunt & ſtudentes pauperes, ollarios
Vocamus. His promiſimus cœnam optimam
Hac nocte dandam. *Chrem.* Tranſeant illi quoque
Noſtras ad ædes. Cæna Dabitur omnibus.
Tantùm hic manete Dabitur, & Date. *Dabit.* Tuo
Frater, relinquo arbitrio, ut dixi, omnia,
Pronus ſequetur Dabitur, ubi præit Date.
Date. Paterfamilias ſutor, & conjux coqua,
Et hic Picillus filius cœna nequit
Excludier parata in illorum domo.
Abeamus ergò frater, & ubi jam hoſpites
Sunt congregati, nos quoque adſimus, decet.
Chrem. Siſte, obſecro, Date, Sutor, & conjux coqua
Et hic Picillus filius etiam in meis
Cœnare poterunt ædibus, ad has omnia
Sunt transferenda fercula, & quotquot hodie
Vocare vultis hoſpites. *Pic.* Parens meus
Venire non audebit. Inter conſules
Et reliqua membra curiæ non eſt locus
Pauperculis. *Chrem.* Honeſtus utique civis eſt
Parens tuus, ne metuat, inveniet locum.
App. Mihi aſſidere poterit. Ad latus meum
Hinc uxor, hinc maritus invenient virum,
Cui colloquantur candidè, & doctè, & piè.
Chrem. Age ergo. Vade Leribal, fac fercula,

Et

Et Hoſpites huc tranſeant omnes. *Ler.* Patris

Promptus ſequor mandata. Picille ſequere.

Scena Undecima.

Chremes, Date, Dabitur, Apparitor.

App. Determinatus igitur eſt cœnæ locus?

Date. Determinatus, nempe in ædibus novi
Patrisfamilias. Pauperem malo domum,
Sed liberalem incolere, quàm ædes divites,
Ubi ſordidum tenacitas clavum regit.

Chrem. Ad non reget Tenacitas clavum amplius
In æde noſtra. Potius uxorem domo
Expello, quàm te, Dabitur, & Date. *Date.* Hoc procul
Abſit, precor. Domeſticam pacem mea
Præſentia turbare nolim. Victima
Pacis priùs diſceſſeram ex his ædibus,
Nova bella mecum revehere haud velim. Novi
Patrisfamilias repetimus, frater, domum.

Dab. Dixi, ſequetur Dabitur, ubi præit Date.

Chrem. State, obſecro mei parvuli!

Scena Duodecima.

Chremes, Date, Dabitur, Sparmuncus, Apparitor.

Spar. - - - - En tibi Date
Claves Parens remittit, & plenam ſimul

Licen-

Licentiam concedit in totam Penum.
Diſpone more priſtino, & munus tuum
Exequere liberaliter. Mater nihil
Opponet ultra. Deprecor & ego meam
Ferociam in te, quæque detraxi priùs,
Jam reddo cuncta * *Chrem.* nónne contenti modò
Uterque veſtrum remanet in domo mea?
Dab. Fratri relinquo cuncta, ſi manes Date,
Manebit etiam Dabitur. Hinc verò ſi abis,
Abibit etiam Dabitur. - - -

Scena Decima tertia.

Chremes, Leribal, Sparmuncus, Date, Dabitur, Apparitor, tres Muſici, tres Studioſi, Picillus.

Ler. ** - - - - En! quos hoſpites
Vocaveras, adduco. Quam cœnam omnibus
Promiſeras, ponemus in noſtra domo.
Muſ. 1. Ubicunque Dominus Dabitur, & Date juſſerint,
Sumus parati, ubique læta ut Muſica
Recreemus almos Hoſpites. *Ergaſt.* Cœnantibus
Servire nos gaudemus, & lances manu
Et ore prono abſtergere nitidiſſimè.
Studebimus. *App.* Ad hæc ſtudia dudum ego quoque
Non abſque commodo incubui, & - -

Scena

* Offert in corbula interulam, calceos, & reliqua priùs iſti Date ablata, & Sordidello donata.
** Ad Dabitur.

Scena ultima.

Accedunt Sordidellus, Staſimus, Stolprio.

Staſ. * - - - - - Exi Spiritus
Maligne! non vis? ocyus cedas domo
Noſtra Domina jubet. *Stolp.* Exeas tantùm citò,
Vel. *Sord. ſupplex.* Domine Chremes! angulum tantùm ultimum
Domi tuæ concede. Servulus tibi
Fidiſſimus ero. *Ler.* Ne audias pueri preces,
Quem Mater ipſa expellit, & ſic corrigit,
Quod antea peccaverat. *Chrem.* Factum probo.
Diſcede partus ſpurie, nec unquam amplius
Ædes meas ſubire præſumas puer.
Sed nec tua Avia Sordidella, quæ uxorem meam
Seduxit, unquam limini huic pedem inferat.
Sord. Sparmunce! *Spar.* ceſſa! me pudet tam Sordidum
Foviſſe puerum. *Sord.* Leribal! *Ler.* quid Leribal
Cum Sordidello? *Sord.* Staſime! Stolprio! *Stolp.* Quia
Hauſtum negaſti debitum, ſimus modò
Tui Patroni? *Staſ.* cede! *Sord.* Domini Muſici
Orate pro me. *Muſ.* 1. Canere ſuêrunt muſici,

Orare

* Staſimus, & Stolprio Sordidellum reluctantem extrahunt ex angulo domus.

Orare multùm neutiquam eſt noſtrùm. *Muſ.* 2. Putas
Meruiſſe te noſtras preces? non es memor,
Qua cruditate Muſicis preſſis ſiti
Non dico vini pocla, ſed cerevißiæ
Hauſtum negâſti? *Muſ.* 1. injuriam hanc modò luas.
Sord. Domini ſtudentes! *Ergaſt.* denique ad nos confugis?
Pamph. Nempe offa, quam pinguiſſimam hodierna die
Nobis dediſti, meruit, ut cauſam tuam
Agamus? *Creax.* Equidem meritus es de me bene,
Quando fui cellarius. Multa ex penu
Mihi vendidiſti; ſed moneta Hiſpanica
Exſolvit omne debitum. *Sord.* Túne improbus
Ille puer, & deceptor? *Creax.* iſta parcius,
Aut - - *Ler.* Hanc Monetam Hiſpanicam teneas tibi. *
Erit loco Salarii: hanc Aviæ refer.
Et cede tandem. *Omnes.* ** Cede, cede. *Sord.* Calceos
Sparmunce, quos - - *Spar.* pro calceis calces habe ***
Chrem. Næ denuo vel canculum in noſtram domum
Irrepat iſte ſordidus puer, vigil

Atten-

* Reddit Sordidello.
** Præter Dabitur, & Date.
*** Abigunt omnes calcibus, & fuſtibus Sordidellum.

Attende Staſime. Vive jam felix Date
Cum fratre Dabitur, & Penum totam rege.

Date. Recipere claves vereor ereptas ſemel.
Deliberabo craſtina: interim hac die
Maneamus in Sutoris optimi viri
Jam conſtitutis ædibus. *App.* An ibi quoque
Cœnabimus? ſtatuite. Video conſules
Jamjam propinquos. *Chrem.* Ah Date, ah Dabitur! probrum
Avertite à me tale. *Ler.* Jam pœnas dedit
Parens uterque injuriæ, quam tibi, Date
Hodie intulit. Sparmuncus etiam ictus ſapit,
Aliámque jam mentem induit. Quo Leribal,
Semper animo in te fuerit, agnôſti ſatis.

Date. Tibi liberalis indoles ſemper fuit,
Erítque ſpero. Gratiam in tuam Date
Manebit, ut & Dabitur hac maneat domo.

Dab. Manente te manebo. Non diutius;
Nam nullibi hæret Dabitur, ubi non eſt Date.

Chrem. Uterque ſit perpetuus in domo mea,
Nec dividendus incola. Eſt verum nimis:
Qui vult amare Dabitur, hic & amet Date.

App. Notate cives urbis hanc parœmiam:
Qui vult amare *DABITUR*, hic & amet *DATE.*

CON-

CONTEMPTUS
STUDIORUM
IN DIVITE ADOLESCENTULO CORRECTUS.

Argumentum.

In Scenam producimus Adoleſcentulum, quem Crœſillum vocamus; Hic à Parentibus ad Studia miſſus, eadem tamen negligebat, utpote quæ Pauperibus tantum ad lucrandum panem neceſſaria dicebat, non ſibi prædivitum Parentum Filio & Hæredi unico. Errorem Parentes lepide & ſapienter correxere.

Scena Figitur in urbe ad Contubernium Crœſilli.

Perſonæ.

Crœſillus.
Beryllus, Crœſilli contubernalis.
Edmundus, *Pamphilus*, *Pigrillus*, Condiſcipuli Crœſilli.
Dromulus, Crœſilli famulus.
Staſimus, *Lyſetta*, Fam. Domeſt.
Stychbus; miſſus â Parentibus Nuntius.
Codrodomnus, Perſonatus Mendicabulorum Præfectus.
Codrillus, Mendicabulum.

Actus

Actus Primus.

Scena Prima.

Crœſillus, Dromulus.

Uterque in cubiculo ſedet ad pulpitum. Dromulus quidem ſtudens, Crœſillus verò dormiens.

Drom. Iterúmne ſomno mergeris? quem denique
Fructum potes ſperare, ſi totam diem
Nugando, dormiendo, ludendo male
Comburis? *Crœſ.* audes denuo quietem meam
Turbare famulus inſolens! tu ad litteras
Incumbe pauper Dæmon; harum tu indiges
Arte, niſi mendicare velis; hodie tamen
Ignoſco ruptum ſomnium, quod me gravi
Afflixerat terrore. *Drom.* Quale ſomnium?
Crœſ. Mendici ad inſtar ſordida indutus toga
Vilique tectus Gauſape viſus mihi
Stare in plateis. *Drom.* Somnium ne omen ſiat,
Caveto! *Crœſ.* Quid? ne ſomnium hoc omen ſiat?
Mendicitas timenda ſit mihi? Bonis
Abundo tantis, quanta vix Crœſus, puto
Poſſedit olim. *Drom.* Quæſo, quot loculis tuis
Clauſi premuntur aurei? *Crœſ.* ſi non modò
Loculi gravantur aureis; domi tamen
Ciſtas refertas aureis Parens habet;

Hæres Parentis unicus ſum ego. *Drom.* Gratulor,

Crœſ. Aſt ubi Beryllus? nunquid hic me pigrior
In molli adhucdum lectulo ſtertit? *Drom.* Nihil
Minus: ſed hora quarta vix inſonuerat,
Mox ille ſtratum deſerens rapto libro
Subivit hortum. At ecce! jam huc ipſus redit,

Scena Secunda.

Crœſillus, Beryllus, Dromulus.

Crœſ. Eccur Beryllus more non ſolito hactenus
Maturus adeò deſerit lectum hac die?
Beryll. Fatebor equidem, mos hic inſolitus mihi
Hucusque fuit, at ſolitus erit impoſterum.
Quarta ubi ſonabit hora, fixum eſt ſurgere
Saltem quoad Scholaſticus hic annus fluet.
Crœſ. Cur iſta? quæſo? *Beryl.* Tempus hoc aptiſſimum
Eſt litteris, ſat fauſta Memoria eſt mihi
Hiſtoriam huic imprimere Confido facili
Labore. *Drom.* Nec tibi deeſſet memoria
Crœſille, poſſes, ſi modo velles, brevi
ediſcere Hiſtorias & alia plurima
Utilia valde. *Crœſ.* Quid? ego tam ſtultus caput
Per ſtudia frangam? quid juvat tantus labor?
Beryll. Spe Præmii levabitur cunctus labor.
Crœſ. Spe prœmii! ſine Pauperes pro Prœmio
Sudare; namque illi indigent, ut tempore
Vacationum facilius ſtipem impetrent,
Si varia per Cœnobia, ſive Illuſtrium

Arces

Arces vagantes Prœmium oſtendere queant.
Utrique noſtrûm Dives eſt Domi Parens;
Non indigemus nos ſtipe. *Beryll.* Haud ſtipem peto
Per Prœmium. *Crœſ.* Quid ergo? *Beryll.* Laudem & gloriam;
Deinde ſtimulant litteræ heſterna die
à Matre ſcriptæ. *Crœſ.* Quid igitur ſcripſit tibi
Hæc Domina Mater? *Beryll.* nempe promittit mihi
Ter ſplendida cum veſte pallium rubrum,
Si prœmio donatus in patriam domum
Redibo. *Crœſ* Veſtem ſplendidam atque Pallium
Rubrum à Parente exſpecto vel ſine Prœmio;
Imo afferendum operior hac adhuc die,
Sic namque ſcripſi nuper ad Matrem, & Patrem.

Drom. Credo facile, quod ſcripſeris, ſed & ſcio
Quid ad Parentes ſcripſerit eadem die
Moderator. *Crœſ.* Et quid ſcripſerit? *Drom.* quid ſcripſerit?
Quod nempe, quoties admonet, ut ad litteras
Animum applices, reponere audacter ſoles:
Studia fatigent pauperes; dives ſum ego,
Nil literis indigeo. *Crœſ.* Scripſerit Cato hic
Quidquid voluerit. Filio credet Parens
Plus, quàm extero atque ſemper infenſo mihi.

Scena Tertia.

Prioribus accedunt Edmundus & Pamphilus.

Edm. Salvete! num vacantibus ſcholis placet
Deambulare? *Craſ.* læta tempeſtas favet;
Non abnuo. *Beryll.* Me detinet hodie Domi
Hiſtoria perdiſcenda. *Pamph.* Diſcenda pariter
Hiſtoria nos è domibus in campos vocat,
Deambulando namque nosmet mutuò
Examinemus. *Beryll.* Hoc quidem ſi ſit, ſequor.
Cræſill. Examinemus mutuò? in Schola ſatis
Caput fatigo. Libera aura & tempore
Recreationis melius utamur, decet.
Er quæſo vos, quid ſtudia tam inſano juvat
Labore ſemper proſequi? ſunt divites
Vobis Parentes: nullus imminet metus
Mendicitatis; pro lucrando pane nil
Studiis erit opus. *Edm.* Ad ſtudia me non metus
Mendicitatis urget, at ſpes gloriæ,
Laudisque, quam conferre litteræ ſolent.
Drom. Crœſille ſat ſuperbus & laudis avidus
In rebus aliis eſſe conſuêſti hactenus,
Cur ſola laus ex litteris nullos tua
In Mente ſtimulos excitat? *Cræſ.* Laus litteris
Relata laus eſt Pauperi, qnam diviti
Quærenda potius. *Drom.* Divites & Nobiles
An fortè laus ex litteris parta dedecet?

Pamph.

Pamph. Ad dignitates nunquid & honorum gradus
Evehere poſſunt ſtudia plebejos quoque.
Mihi Parens eſt dives, at civis tamen
Et Caupo tantùm; Magnus ego Dominus volo
Et Doctor eſſe; litteræ tales mihi
Parient honores. *Cræſ.* Aſt ego ſine litteris
Magnus ero Dominus. *Drom.* At ſimul magnus aſinus.
Edm. Ad ſtudia me præ cæteris ſummum movet
Solatium, quod afferam Matri meæ,
Si prœmium retulero, vel ſaltem audiar
Acceſſor. *Drom.* Hoc ſolatium & Matri tuæ
Crœſille, nunquid maximum, credis, foret?
Scis, quid abeunti ad ſtudia dixerit - - *Cræſ.* mea
Mater mulier eſt; quid mulier intelligit?
Drom. Etiam Pater nil, credito, optaret magis
Quàm doctum habere filium: nam cur putas
Te miſit ad gymnaſia? cur tot ſumptibus
Tibi Pædagogum & famulum alit? *Cræſ.* Quia ſcilicet
Hoc moris eſt, ut ditiorum filii
Etiam Latinam utcunque percurrant ſcholam.
Edm. Non ambulabis ergo nobiſcum hac die?
Cræſ. Recreare mentem, ſi ambulo, volo. At ſimul
Ut vos, ſtudere, credite, haud vacat mihi.
Pamph. Nos ergo ſoli abimus. *Cræſ.* Ite.
Beryll. Vos ſequor.

Scena Quarta.

Cræſillus. Dromulus.

Drom. Et tu quid interim domi? *Craſ.* hoc ad te nihil
Modò Pigrillum exſpecto; quid agendum hac die,
Hic ſuggeret. *Drom.* Habes utique Conſiliarium
Sat ſtrenuum in Sodale tam digno. Obſecro
Quoties minis & precibus inſtitit tibi
Moderator, ut conſortium pueri illius
Coneris evitare, quo poſſis modo.
Craſ. Moderator hodie non adeſt. Aliò jam heri
Profectus. *Drom.* At redibit hac forſan die.
Cræſill. Pace mea abeſſe poterit hoc anno integro,
Non egeo Moderatore, Moderator mihi
Futurus ipſe melior. *Drom.* Omnino optimus
Cræſ. Abi, mone Matremfamilias, ut paret
Offam mihi: nam ſentio exhauſtum caput,
Stomachumque. *Drom.* nimia, credo, diligentia
Exhauſit adeo Spiritus. *Cræſ.* Dixi jam. Abi
Et affer offam. *Drom.* qualis arridet tuo
Offa ſtomacho? *Cræſ.* Quid quæris? affer optimam,
Quam carnibus gallina condivit ſuis.
Drom. Feram. Interim ne ſpiritus fracti nimis
Labore litterario omnino evolent,
Quieſce, lenique recrea ſomno caput.

Actus

Actus Secundus.

Scena Prima.

Cræſillus, Codrillus.

Cræſillo in ſella ſua ſemi-dormiente irrepit Codrillus.

Codrill. Ah! Herule, Miſericordiam pauperculo!
Ah Herule! *Cræſ.* quisnam ſondidus Codrus domùm
Tacito pede ſubit? nonne furari paras?
Codr. Par tibialium unicum, lacerum & vetus.
Cræſ. Quid? tibialia vis clepere? *Codr.* vel calceos
Cræſ. Vel calceos? huc Staſime, cito, Staſime.

Scena Secunda.

Accedit Staſimus cum raſtro in manu.

Staſ. Quid? *Cræſ.* tune mendicabulum & furunculum
Sub tecta noſtra admittere? ejice ocyus.
Staſ. Quid puer hic ad me? tu ipſe, ſi vis, ejice.
Gravius mihi negotium cum equis meis.
Cræſ. Crudiſſimum animal! *Staſ.* Parcius loquare; ego
Sum vivus & Verus homo, non animal. *Cræſ.* Pecus
Et plumbeus Bos es. *Staſ.* Bovem ſi nominas,
Te nominabo aſinum. Quid eſt hòneſtius,

An Bos, an Aſinus? *Cræſ.* Cede, vel-*Staſ.* Tu quoque ſile

Vel -- *abit indignans & minitans Staſimus.*

Scena Tertia.

Cræſillus. Codrillus.

Codrill. - Domine! Miſericordia. *Cræſ.* En! panem accipe

Atque ocyus diſcede. *Codrill.* Non panem peto,

Sed calceos. *Cræſ.* Pro calceis calcem dabo.

Codrill. Antiqua tantùm & lacera tibialia,

Caligásve. *Cræſ.* Caligas, huc veni, aptabo novas.

Arripit baculum verberaturus Codrillum, qui ereptum baculum vertit in Cræſillum.

Cod. Quid? tu puer me verberare? *Cræſ.* Dromule!

Staſime! Juvate me! Juvate! *affugit Codrillus.*

Scena Quarta.

Cræſillus. Pigrillus.

Pigrillus ſuperveniens. - - Quid inſolens
Hic clamor? aut quæ rixa tibi cum Sordido
Puero? *Cræſ.* Sileto! nequeo Mendicabuli
Audire nomen. Dic modò, quomodo diem
Hanc Tranſigamus? namque profectus aliò
Moderator eſt. *Pigr.* Abſentia hac uti decet,
Quoad licebit. Aura num libera placet?
Campos perambulare non libet tibi?

Cræſ.

Cræſ. Ad ambulandùm in prata me paulò antea
Socii vocarunt: reſtiti, quia ſcilicet
Deambulando diſcere hiſtoriam volunt;
Quid ineptius? quid hiſce cum nugis mihi?
Sum dives abſque litteris. *Pig.* Dicis bene;
Etiam Pigrillus non fatigaret caput,
Niſi foret Pauperculo natus Patre,
Et indigeret litteris. *Cræſ.* Caput nimis,
Non puto, fatigas. *Pigr.* Studeo, quantum
ſufficit
Ut ſingulis bienniis Scholam novam
Ex gratia ſaltem aſſequar.

Scena Quinta.

Cræſillus Pigrillus. Dromulus.

Cræſ. - - - - - Tandem hic ades
Teſtudo? at offa, quam petivi prius ubi eſt?
Drom. Materfamilias hæret in templis adhuc,
Gallina pariter frixa jam nulla eſt domi.
Offam tamen, ſi placeat; ancilla afferet.
Cræſ. Qualem? *Drom.* Stat olla grandis ap-
poſta ad focum,
In qua paratum juſculum pro pauperum
Solatio. *Cræſ.* Pro pauperum ſolatio?
Tam ſordidam offam ancillula audebit mihi
Offerre? *Pig.* Melius aliquid incidit mihi:
Lanionis ante tranſii Domum: optimus
Farciminum me nidor afflavit; recens
Confecta ſunt & toſta. *Cræſ.* Dicis optime;
Pigrille! Curre Dromile, & citus mihi
Farcimina affer toſta. - Quid moras trahis?
Non juſſa facies? *Drom.* facio; ſi jubeas
nihil,

Quod facere Moderator vetuerit. *Crœſ.* Eſt modo
Moderator abſens; Solus ego ſum meus
Tuusque Moderator. Citò affer, quæ peto.
Drom. Cras, cras. *Crœſ.* Puer! ſic loqueris inſolens mihi
Hero tuo? dum pane veſceris meo?
Drom. Tui Parentis pane uterque veſcimur
Et tu & ego. *Crœſ.* Nunquid omnia Parentis Bona
Meâ ſunt? *Pigrill.* Domine Crœſille, dicis optimè.
Crœſ. Vade ergo & affer, quæ peto, farcimina.
Drom. Moderator hæc prohibuit. *Crœſ.* Ut tecum ſtygem
Moderator iſte ſubeat! in pœnas meas
Uterque veſtrum natus id agit unicum,
Ut torqueat me. Repeto denuo ultimum,
Fac juſſa, vel diſcede ſervitio meo.
Drom. Dominus Parens tuus tibi famulum dedit
Me Dromulum, dimittere hic ſolus poteſt,
Non tu. *Crœſ.* furore rumpor. Inſolens puer!
Pigrill. Compone mentis impetum. Quod Dromulus
Recuſat, ego præſtabo. Quot farcimina
Vis afferam! *Crœſ.* Duodena ſaltem poſtulo;
Pigr. Nempe octo pro te, quatuor pro Dromulo.
Crœſ. Pro Dromulo? nec ultimam farciminis
Extremitatem hic improbus puer feret.
Drom. Nec poſtulo. *Crœſ.* Nos ambo facile duodecim

Farci-

Farcimina abſumemus. Inſolitum latrat
Stomachus meus. *Pig.* Curro igitur. At prius
Pecunias. Pro duodecim tomaculis
Saltem crucigeros duodecim ſolvas, decet.
Cræſ. Pigrille ſolvas interim pro me. Omnia
Reddam tibi cum fœnore hac adhuc die;
Exſpecto namque certus aliquot aureos
Mox ſplendida cum veſte mittendos mihi
à Matre. *Pigr.* Ne tres quidem obolos ſaccus meus
Includit. At tu Dromule potes interim
Dare mutuas pecunias Hero tuo.
Drom. Etſi tumerent aureis loculi mei,
Tamen hos in uſus nec obolum vobis darem.
Cræſ. Pallium ſuum tradit Pigrillo.
Hoc Pallium depone Pignoris loco
Pigrille; facile Lanio, quod petis, dabit;
Pigr. Sic bene. Redibo mox & afferam celer
Recentia & gratiſſima tuo guſtui
Farcimina. *Abit. Cræſ.* At tu Dromule potes interim
Abire, quo lubebit, ex noſtro nihil
Jentaculo guſtabis indignus nimis.
Drom. Vobis precor, jentaculum hoc ſapiat bene.
Cræſ. Sapiet benè, dubita nihil. *Drom.* dubito nihil;
Cræſ. Quin poteris omnino ædibus noſtris procul
Abeſſe. Non indigeo jam obſequiis tuis.
Melius Pigrillus ſerviet poſthac mihi.
Drom. Abibo, ſi ſic juſſerit Parens tuus.

Actus Tertius.

Scena Prima.

Crœſillus ſolus. In cubiculo menſa ſtrata mappis minoribus & lancibus.

Ubi Pigrillus tamdiu? verè hac die
Pigrillus eſt, & nomen implevit ſuum;
Jam ſtrata menſa. Sola nunc tomacula
Deſunt. Orexis ſumma vix patitur moram.

Scena Secunda.

Crœſillus. Pigrillus.

Crœſ. Tandem redis Pigrille! nunc ad rem citò.
Appone mox farcimina. Quid hæres? *Pigr.* Quia
Nulla habeo. *Crœſ.* Nulla? cur? *Pigr.* quia lanio negat
Quidquam daturum ſe tibi. *Crœſ.* Pro pignore
Negavit? *Pig.* etiam pro ære præſenti negat
Quidquam daturum ſe amplius tibi, quia
Moderator interdixerat. *Crœſ.* Sicne lanio
Curare Moderatoris imperium ſolet?
Pig. Nomine tui Parentis Imperium dedit
Moderator. *Crœſ.* O Moderator! iſto cerbero
Quis liberabit denique infauſtum nimis,
Jejunus ergo tranſigam mediam diem?

Scena Tertia.

Cræſillus, Pigrillus, Dromulus.

Drom. Jámne omnia abſumpſiſtis? an vobis bene
Sapuêre tam bene toſta, tam recentia
Farcimina? an non & reſidui quidpiam
Mihi relictum eſt? video, lances optimè
Purgâſtis; imo ne quidem ſupereſt odor
Farciminis. *Cræſ.* Per inferos juro, dabit
Moderator & ſimul lanio dabit mihi
Pœnas. Modo citus hîc adeſſet nuntius
Pecunias â Matre ſperatas ferens.

Pig. Hæ ſi jam adeſſent, utique ſtatim proximam
Te ducerem ad cauponam, ibi facilè optima
Farcimina & quid melius apponi tibi
Curarem, & una cum fame eximerem ſitim.
Quin aliud & jucundius adhucdum mihi
Occurrit. *Cræſ.* Et quid illud? *Pig.* extra mœnia
Excurrere, atque â prandio in noto oppido
Et in taberna, quam vocant, Bovem aureum
Potare, comeſſare non ſolito modo.

Cræſ. Pecunias, nil dubito, recipiam brevì,
Et ante prandium. Interim Pigrille equos
Conſtitue; mox â prandio extra mœnia
Fac, ſtent parati. *Pig.* At interim ſi redierit
Moderator? *Cræſ.* haud redibit. Et ſi redierit,

Non

Non curo. Tandem excutere grave jugum decet;
Meóque genio vivere. *Pig.* quot equos jubes
Ergo paratos ſtare? *Craſ.* quid dubitas? duos
Pro noſtrûm utroque: nam puer hic hærens domi
Studere poterit: indiget namque ſtudiis
Ne pane careat proxime expulſus meo
Servitio. *Drom.* Ego pellendus â munere meo?
Quis pellet? an tu? *Craſ.* ſi Dominus ero meus
Meique juris, juro, nec per horulam
Tolerabo te. *Drom.* Cum Dominus & Juris tui
Futurus es, tunc & ego Dominus fors ero,
Famulumque poſt me & forte non unum traham.

Craſ. Sile ſuperbe, & inſolens. Tu, *ad Pigrillum*, verò equos
Quos diximus, conſtitue, quos â prandio
Conſcendimus. *Pig.* Non præplacet curru vehi?
Fatebor etenim, non ſatis confido equis,
Excutere poſſent forte. *Drom.* Conſilium dabo:
Aſinum tibi conſtitue; ſic omni cares
Periculo; nam ſimile non ſuevit agere
In ſimile. *Craſ.* Ceſſato obloqui. Tu, *ad Pigrillum*, fac equi
Ut ſtent parati & ante duodecimam, nota,

Ante duodecimam; nam moras ægrè fero
Pig. Præſto videbis omnia ad nutum tuum.

Scena Quarta.

Cræſillus. Dromulus.

Drom. Monebo, ſi vis Drochimum. *Cræſ.* Quis Drochimus?
Drom. Director Horologii in urbe publici.
Cræſ. Quid hunc monebis? *Drom.* ut duodena citius
Hora inſonet, procuret; at ſub veſperam
Suſpendat Horologium, ut ita diutius
Poſſitis emanere, & extra urbem ſatis
Potare, comeſſare. *Cræſ.* Num ludis puer?
Potabo, comeſſabo, te fruſtra licet
Ringente. Sed quem video? Stychus eſt? Jo!

Scena Quinta.

Cræſillus. Dromulus. Stychus.

Cræſ. Salveto Styche millies! ô quam venis
Optatus! *Stych.* â Parente ſum juſſus tibi
Vale dicere. *Cræſ.* Vale dicere? Salutem mihi
A Matre ferre juſſus es. *Stych.* Non, non, vale
Vale dicere tibi Domina mea, Mater tua
Me juſſit, idque nomine ſuo; ſat benè
Cæpi Parentis verba. *Cræſ.* Nihil iſthæc moror,
Dic, num novas in ciſtula hac veſtes mihi?

Stych.

Stych. Veſtes novæ ſunt intus. *Croeſ.* Oſtende ocyus.
Ubi clavis? *Stych.* eſt incluſa litteris Patris.
Croeſ. Ubi litteræ? da. Nónne ſunt auro graves?
Stych. Me non gravarunt; námque me cum litteris
Portavit equus; hic ſenſerit pondus. *Croeſ.* Cito
Da litteras. *Stych.* Non audeo; nam non tibi
Epiſtola eſt inſcripta. Sed ubi jam tuus
Moderator? *Drom.* eſt profectus heſterna die
Quo, neſcio. *Cræſ.* Huic inſcripta fors epiſtola?
Stych. Ipſiſſimo. *Cræſ.* Non litteras alias habes
Ad me datas â Matre. *Stych.* Fors in ciſtula
Clauduntur aliquæ. *Cræſ.* O ut rediret jam cito
Moderator! *Drom.* eſt mirabile. Optabas prius
Ut emaneret integro anno, & amplius
Moderator, & nunc ocyus reducem cupis.
Cræſ. Reducem, fatebor, cupio tantum tamdiu,
Dum clavis hanc ad ciſtulam ejus litteris
Incluſa mihi ſit tradita; ulterius virum
Non detinebo. Aſt interim, dic, an nova
Veſtis ſuperba, & ſplendida? *Stych.* haud vidi quidem;
Non dubito tamen. Ancilla, quæ veſtem intulit
Huic ciſtulæ, dicebat: ô quam ſplendidè

Crœ-

Crœſillus hac in veſte coram urbe integra
Incedet! *Crœſ.* Ecce Dromule! an plus filius,
Anne Moderator litteris potuit ſuis
In Matris animum? *Drom.* gratulor; noli tamen
Tibi ante tempus plaudere. Hanc veſtem novam
Fors tam citus non indues. *Crœſ.* Non induam?
Drom. Moderator id vetabit, & donec magis
Animum applices ad ſtudia, te indignum novis
Pronuntiabit veſtibus, & in ciſtula
Clauſas relinquet. *Crœſ.* Talia audebit, putas,
Moderator? *Drom.* hoc fors ipſemet Dominus Parens
Suis jubebit litteris. *Stych.* Non, non jubet
Hoc Domina Mater. Ipſamet dixit mihi:
Ne Stycbe redeas, donec ipſe videris,
Quàm veſtis bæc ſubmiſſa Crœſillo benè
Aptata ſit, quàm quadret, & quam arrideat.
Drom. Sed absque nummis an nova hæc veſtis tibi
Satis placebit? *Crœſ.* aurei nummi quoque
In hac latebunt ciſtula. *Stycb.* Sic eſt; latent;
Jam clauſa fuerat ciſtula, & tergo meo
Impoſita, cum illam Domina Mater denuo
Juſſit recludi: tum papyro, neſcio,
Quid involutum in veſte depoſuit nova;
Ancilla vero conſcia hæc dixit mihi:
Incluſa modo moneta nummis quatuor

Æquivalet. *Drom.* Nummis quatuor? ô
quam tibi
Applaudo! jam farcimina, & binos equos
Solviſſe facile poteris, & totam diem
Potare, comeſſare. *Cræſ.* Prô! te ſimplicem!
Neſcisne nummos aureos dari, quibus
Eſt grande pretium? quaduplex nempe aureus
Nummus duodecim in urbe florenos valet.
Tales Parens vulpeculas plures habet,
Harum una fauſtum venit in caſſes meos;
Age ergo Styche, Bajule optatiſſime,
An non ſitis, vel eſuris? *Styeh.* Superflua
Hæc quæſtio eſt; nam ſitio ſemper. *Cræſ.* Dromule!
Matremfamilias præbeat ut hauſtum bonum
Stycho, moneto. *Drom.* Poſcis & jentaculum?
Farcimina prius optima & pinquiſſima
Allata ſunt jubente Crœſillo. Super
Sunt aliqua, nullus dubito: nunquid ſunt
ſuper?
An devoraſtis omnia? *Cræſ.* inſolens puer!
Illudere haud ceſſabis? *Drom.* imperium
ſequor;
Huc Styche. *Styeh.* Non præcedo. *Drom*
Es hoſpes: hoſpiti
Debetur honor. *Styeh.* Accepto, quoniam ſic jubet
Dominus famulus; at crudus haud dici velim. *

Scena

* Abeunt hi ambo.

Scena Sexta.

Crœſillus ſolus.

O me Beatum! veſtis & nummi aurei,
Et quidquid exoptaveram, ſunt ad manum:
Modo clavis etiam adeſſet! Impatiens moræ
Exſpecto moderatoris adventum.

Scena Septima.

Crœſillus, Pigrillus.

Pigr. - - - - - Jam equi
Sunt conſtituti. Præter argentum nihil
Deeſſe nobis video. *Cræſ.* De argento nihil
Pigrille ſis ſollicitus. Advenit modò
Optatus adeò bajulus, per quem Parens
Ter liberalis aureos quatuor mihi
Submiſit. *Pig.* Aureos quatuor! ô nos nimis
Hodie beatos! *Cræſ.* Miſit & veſtem novam,
Et ſplendidam. *Pig.* Num liceat illam cernere?
Cræſ. Includitur adhuc ciſtulæ huic. *Pig.* Ergo aperias
Hanc ciſtulam. *Cræſ.* Etiam clavis eſt in literis
Incluſa moderatoris; huic etenim Parens,
Cur neſcio, cum literis clavem ſimul
Submiſit hanc ad ciſtulam. *Pig* Bene. Modò
Habeamus aureos quatuor, haud veſtibus
Hodie novis egemus. *Cræſ.* At nummos quoque

Clauſos adhuc tenet arca. Quid fricas
caput?

Pig. An ergo Moderatoris adventus tibi
Eſt pariter exſpectandus etiam pro aureis,
Donec recipias? *Cræſ.* ſpero rediturum
brevi.

Pig. Crœſille, conſcendamus egregios equos,
Et denique maneamus audacter domi.

Cræſ. Cur hîc manere? *Pigr.* Nempe ſine pecuniis
Potare, comeſſare poteris ſtrenuè.

Cræſ. Pecunias habebo, quam primum redux
Moderator aderit: quaduplex, dixi, latet
Aureus in íſthac ciſtula miſſus mihi
A Matre: *Pig.* ſi moderator huc redux erit,
Credísne, tibi licentiam dabit, foras
Quo vis vagandi, & maximè, ſi me tibi
Adſciſcere comitem volueris? *Cræſ.* ambigo,
Fatebor ipſus. Sæpius tuo mihi
Conſortio interdixit. *Pig.* Aliud quidpiam
Excogitandum. Aut prævenire nos decet
Rigidi tui catonis adventum, aut domi
Manere. Videam, ſine, ſeram. * - - -
Certe parum eſt
Munita. Cede malleum. *Cræſ.* Quid cogitas?
Effringere ſeram num paras? cave, obſecro

Pig. Nil metue. Scio dexterrime hanc artem; ſeras
Aperire & iterum claudere didici puer. **
Feliciter! jam ciſtula pateſcit. Modò
Tan-

* Obſervat acuratius ſeram in ciſtula.

** Malleo percuſſam ſeram aperit.

Tantum aureos inquirimus. Reliqua omnia
Intacta ſinimus. *Craſ.* Quin novam veſtem ſimul
Obiter juvat vidiſſe. Sum cupidus nimis,
Et longioris omnis impatiens moræ. *
Pig. Quot involuta lineis veſtis! *Craſ.* quia
Pretioſa. Ne quid deteratur provida
Mater cavere voluit. *Pig.* At quid pileus
Stramineus? aut quid gauſapa hæc?

Scena Octava.

Accedit Dromulus.

Drom. - - - Domum redux
Moderator eſt ad januam. Quid territi
Hæretis? aut quid ciſtula pateſcens? *Pig.* vale
Crœſille! jam me prandium vocat domum.**

Actus Quartus.

Scena Prima.

Crœſillus. Staſimus. ***

Staſ. Diſcede mendicabulum. Foras. Foras.
Hîc poſcito ſtipem ad oſtium, non in domo. ****

* Extrahunt è ciſtula ſequentia.

** Crœſillus hæret attonitus cum gauſapa in manibus, & mox clauditur ſcena.

*** Staſimus Crœſillum indutum veſtibus mendicabuli ejicit è domo.

**** Recedit Staſimus in ædes, clauſa poſt ſe janua.

Cræſ. Egóne mendicabulum? expulſus domo,
Atque ſpoliatus veſtibus, tali in habitu
Stabo in platea publica coram meis
Sodalibus? coram urbe tota; & civibus?
Et hoc Parentes juſſerint? hoc literis
Potuit Pater mandare; potuit filium
Sic Mater abnegare? mendicabulum
Crœſillus? ah! ſaltem angulum in domo mihi
Concedite uſque ad veſperam. Mi Staſime!
Staſime! * *Staſ.* quid? iterúmne inſolens pulſas fores?
Cræſ Aperi, rogo! *Staſ.* Deſiſte! mendicabula
Admitto nulla; nam clepere tantum paras
Furunculus. *Cræſ.* Ego clepere? num non amplius
Me noſcis? En! ſum . . *Staſ.* quisquis es, furunculum
Te credo. *Cræſ.* Sum Crœſillus. En! *Staſ.* Foras! foras,
Expoſcito ſtipem. *Cræſ.* Staſime! auree Staſime!
Staſ. En! jam aureus ſum Staſimus; prius fui
Bos plumbeus. *Cræſ.* Priora dicta deprecor,
Tantum angulum uſque ad veſperam in veſtra domo
Mi Staſime! *Staſ.* animal & pecus crudiſſimum
Truncúsque ſum non mobilis. Cede hinc puer. **
Cræſ. O Sors iniqua! Egóne mendicabulum?

Scena

* Redit Staſimus.

** Redit occluſa iterum janua Staſimus.

Scena Secunda.

Crœſillus. Liſetta per feneſtras domus proſpiciens.

Cræſ. Liſetta! miſericordiam! *Liſ.* exſpecta parum.*
En! panis. Accipe parvule. *Cræſ.* Haud panem peto.
Liſ. Cape ergo nummum. *Cræſ.* Non peto nummum; fores
Liſetta pande. *Liſ.* Vis farinam? ſacculum
Porrige; farina implebo. *Cræſ.* Ludiſne miſerum?
Quis ſim, vide, oro. *Liſ.* Video mendicabulum.
Cræſ. Non noveris Liſetta Crœſillum amplius?
Liſ. Quid? tu puer Crœſillus? incedit alio
Crœſillus habitu. Magnus eſt ille Dominus,
Parente natus divite, hæres unicus
Ampliſſimarum opum. Recedas hinc puer
Mendax nimis, non dignus es ſtipe. *Cræſ.* Ah! *Liſ.* abi.

Scena Tertia.

Crœſillus ſolus.

Cræſ. . . Miſeria miſeriarum! ne quidem
Domeſtici me noſcere volunt amplius,
Ludúntque! at utinam nemo me cognoſceret

* Per feneſtras porrigit panem, & reliqua ſequentia.

In urbe tota! Egóne mendicabulum?
Et hoc volente Matre? mendicabulum
Crœſillus? an poſſibile ſit tantum malum
In orbe?

Scena Quarta.

Accedit Dromulus.

Craſ. - - - Dromule! *Drom.* unde jam notum tibi
Nomen meum paupercule? *Cræſ.* etiamne famulus
Audebit inſultare? non herum tuum
Cognoſcis? *Drom.* ante pauculas horas fuit
Herus meus Crœſillus; aſt modo audii,
Quod Sordidus Codrillus eſt factus. Nihil
Mihi amplius negotii cum paupere
Vilique mendicabulo. *Cræſ.* Inſulta modo,
Inſulta! at ipſus ſenties brevi, mea
Cum ſorte ſortem pariter everſam tuam.
Ubi nullus herus eſt, famulus ad quid ſerviet?
Dimiſſus â Parente panem quærere
Unde, niſi mendicando debebis? *Drom.* Mihi
Timenda nil mendicitas; quia ſum pius,
Et diligenter ſtudeo; per ſtudium mihi
Panem merebor. *Cræſ.* Quomodo autem proſequi
Vix cœpta poteris ſtudia, niſi ſit, qui te alat,
Et interim ſuſtentet? *Drom.* & talis mihi
Jam partus eſt Patronus. *Cræſ.* Et quis hic? *Drom.* tuus Olim

Olim Parens. *Cræſ.* Olim Parens? *Drom.* olim: quia
Non amplius te filium agnoſcit ſuum.
Jam Dromulus Crœſillus eſt; tui loco
Suſceptus â Parentibus ſum olim tuis.
Sic ipſe Dominus Crœſus in hodie datis
Ad Pædagogum literis. Manebimus
Moderator & ego, ut hactenus in his ædibus,
Suetóque contubernio, & quidem tui
Domini Parentis ſumptibus. *Cræſ.* Siccine Parens
Tam liberalis in exteros, in filium
Tam durus eſt? *Drom.* condoleo; ſed nunquid prius
Prædixeram, quod litera hæc, quam ſcripſerat
Moderator, effectura ſit plus, quàm tua
Apud Parentem! *Cræſ.* aſt quomodo, aut quali dolo,
Qualive conſcientia moderator hic
Sic denigrare eſt auſus inſontem? *Drom.* nihil
Te denigravit, candide ſcripſit, ſcio,
Moderator, atque hoc unicum & veriſſimum;
Quod nempe quoties te ſtimulat ad literas,
Semper reponas: *Dives haud muſis eget.*
Pauperculi pro pane lucrando ſtudent.
Nunc ipſus es Pauperculus. Potes modò
Deliberare, num ſtudere mavelis,
Panémve mendicare. *Cræſ.* Prô ſortem aſperam!

 Drom.

Drom. Condoleo, fateor, condoleo mi olim Here!
Ubi hac die prandebis? aut nocte hac ubi
Cœnabis? *Craſ.* ah! ſi condoles verè, obſecro,
Fac, pateat aditus in domum, ne in publica
Cogar platea ſtare riſus omnium
Sodalium, ludibriúmque civium.
Et jam propinquos video. Vah! ubi me tegam?

Scena Quinta.

Crœſillus, Dromulus, Beryllus, Pamphylus.

Pamph. Heus Dromule! ubi Crœſillus eſt herus tuus?
Beryll. An jam recepit, quas petit, veſtes? *Drom.* novas
Paulo ante veſtes attulit ei bajulus
Domo paterna miſſus. *Pamph.* An ſunt ſplendidæ?
Beryll. Etiámne rubrum pallium accepit? *Drom.* brevi
Poteſtis ipſi cernere. *Pamph.* an brevi induet?
Drom. Jam jam induit, ſpectare ſi vultis, domum
Subite. *Beryll.* Sequere Pamphile. *
\- - - - - - At quis ad fores
Has parvulus? *Drom.* Pupillus eſt. Una die

Matrem,

* Ad fores ſedet Cræſillus, totum vultum manibus tegens.

Matrem, Patrémque perdidit. *Beryll.* Dignus igitur
Stipe. Ecce! nummum parvule hunc â me cape.
Pamph. Hunc pariter â me. *Beryll.* Quid manu vultum tegis?
Beryll. Nummum ecce! dextram porrige huc.
Cræſ. * - - - - - - Abſiſtite.
Abſiſtite! *Pamph.* hæc vox Dromule an non eſt heri
Tui? *Drom.* fatebor, eſt ſimillima; aſt modo
Me juſſa moderatoris alio jam avocant.
Beryll. ** Quin vultus etiam parvuli eſt ſimillimus
Crœſillo. *Pamph.* An es fraterculus?
Cræſ. ſinite.

Scena Sexta.

Crœſillus. Beryllus. Pamphilus. Stychus.

Stych. - - - - - - Quid eſt
Crœſille? quid meo Domino, tuo
Olim Parenti nuntiem domum redux?
Cræſ. O te nefaſtum Bajulum! O utinam caput
Et crura fregiſſes tua in medio viæ.
Stych. Jamne didiciſti more mendicabuli
Jurare, & imprecarier? *Beryll.* quid hic agitur?
Anne hic puer Crœſillus? *Stych.* Haud eſt; ſed fuit;
Nunc eſt miſer Codrillus à Matre & Patre
Rejectus, abdicatus, expulſus domo.
Pamph.

* Vi removent manus à vultu Crœſilli.
** Iterum removent manus.

Pamph. Rejectus à Parentibus? *Beryll.* cur hoc? *Stych.* quia
Studere non vult, fodere non valet, ſuper
Hoc unicum, ut mendicet. hæc Domini mei
Olim tui Parentis eſt ſententia.
Beryll. Sententia nimis dura! *Cræſ.* Sed crudelior
Sententiæ executio; Moderator utique
Potuiſſet immutare, vel ſuſpendere
Sententiam? *Stych.* Mandata Moderator habuit
Severa nimis à Patre; cui domum redux
Peracta referam cuncta, ſicut juſſerat. *
Beryll. O quam tui me miſeret! *Cræſ.* Ah funem date,
Suſpendo me, ne quiſpiam mortalium
Me videat hac in veſte. *Pamph.* Ne hoc facias, cave;
Nam ſic viderent plurimi, atque urbs integra
Concurreret viſura ſuſpenſum. *Cræſ.* O pudor!

Scena Septima.

Cræſillus. Beryllus. Pamphilus. Codrillus.

Codr. Salveto mi fratercule! O quàm gaudeo
Videre te! *Cræſ.* Fraterculus ego ſim tuus?
Cod. Nos utique mendicabula omnino ſumus
Fraterculi omnes; omniaque nobis bona
Communia; ergo gaudeo fratrem novum
Reperiſſe me; jam patere in amplexus ruam.
Cræſ. Abſiſte ſordidiſſime! *Cod.* amplexum negas
Frater-

* Abit.

Fraterculo? *Beryll.* En! impoſterum quales tibi
Erunt Sodales. *Pamph.* Quale contubernium!
Codr. Mecum veni; mox proximis in ædibus
Eſt offa diſtribuenda; ni habeas ollulam,
Ego providebo. *Craſ.* Cede ſordidum pecus!
Codr. Plane ſuperbus puer es; imo niſi oculus
Auriſque fallit, proximis in ædibus
Paulo ante viſus. Nonne? meminiſtine adhuc,
Quod mihi roganti calceos crudus nimis
Auſus minari verbera es? *Craſ.* dixi; Appage.

Scena Octava.

Accedit Codrodomnus perſonatus Præfectus Pauperum.

Codrodom. Iterúmne adeſſe video Mendicabulum
Peregrinum in Urbe? quomodo irrepſit puer
Hic? quod tibi nomen? genus? quinam tui?
Aut ubi Parentes? dicito. *Craſ.* Hæc ad te nihil.
Codrodom. Sicne mihi reſpondere? neſcis, quis ſim ego?
Sum nempe conſtitutus, atque publicè
Pronuntiatus Prætor omnium integra
In urbe Mendicabulorum; Et hinc tuus
Sum Dominus. Ergo loquere: quinam ſunt tui
Avi, Proaviqúe? forte non noſtri Patrem;
Infans es expoſitus. *Beryll.* Miſer Pupillus eſt,
Sine Matre, ſine Patre. *Pamph.* Perdidit die unicâ

Paren-

Parentem utrumque. *Codrod.* Nunquid hos
lictor tibi
Eripuit? & quo genere mortis? an rogo
Matrem, Patremque fune vel ferro aut rota?
Eloquere. Non vis pertinax? mores ego
Docebo te. Quid valeat authoritas mea,
Et ſcipio iſte, diſce. * *Crœſ.* Socii! Dromule!
Juvate!

Scena Nona.

Accedit Dromulus.

Drom. - Codrodomne quid agis? & furis
In innocentem parvulum? *Codrodom.* Nequiſſimum
Et vile Mendicabulum, quod ſine mea
Licentia huc irrepſit. Hinc ocyus abi,
Urbemque purga; In urbe noſtra non licet
Tolerare mendicabula externa; ſatis Urbs
Gravata prole Civium eſt. Foras puer.

Codrill. Foras. foras, quia noluit fraterculum
Me noſcere. *Drom.* Moram perbrevem tantum, rogo,
FerDomineCodrodomne,dum ſaltem ſtipem
Pro Parvulo exoraverim. *Codrod.* à quo tu
ſtipem?

Drom. Ab Herulo meo. *Codrod.* Quis Herulus
tuus?

Drom. In proximis his ædibus Prænobilis
Ditiſſimúsque fuerat adoleſcentulus,
Quem noveris fors ipſe; Crœſillum vocant;

Codrill. Crœſillus? ille in pauperes durus puer,
Qui

* Intentat verbera Crœſillo.

Qui me, meoſque ſubditos nunquam bono
Dignatur oculo? *Drom.* In pauperes durus fuit
Olim, ſed hodie totus eſt alius; mihi
Credite, miſeriis pauperum jam condolet
Graviſſime. *Beryll.* Sum teſtis etiam ego
Pamph. meis
Vidi ipſus oculis, pauperes quaſi ſuos
Fraterculos aſpexit haud ſine lacrymis.
Codrill. Et quam tuus Herus parvulo ſtipem dabit?
An calceos? an tibialia? ut mihi?
Liſett * Domine Berylle ad prandium cum Dromulo,
Citò. *Drom.* Dominus Crœſillus an non & ſimul
Vocatur à te! *Liſett.* Nullus his in ædibus
Eſt amplius Crœſillus. Offam ſi velit,
Mendicet, ubi valebit, à nobis nihil
Ultra obtinebit. *Beryll.* Condoleo nec minus ego. **
Pamph. Me pariter inſtans prandii tempus jubet
Domum redire. Tu vale, quantum potes.

Scena Decima.

Crœſillus. Codrodomnus. Codrillus.

Codrill. Prandere ſi vis, proximis in ædibus
Eſt offa diſtribuenda, quam dixi prius.
Codrod. Non. non meretur inſolens offam puer!
Sed purget urbem, idque ocyus. Quin ſuſpicor

Ali-

* Per feneſtras proſpiciens.
** Abeunt Beryllus & Dromulus.

Aliquid gravius. Hi calcei nitidi nim[illegible]
Et tibialia ſerica unde pauperi?
Hæc omnia es furatus haud dubie! cito [illegible]
Ad carceres furuncule! cito ad carceres.
Codr. Ad carceres, ad carceres. *Cræſ.* An miſeria
Meæ miſeriæ ſimilis hac die poteſt
Reperiri in erbe! *Codrod.* ad carceres. *Codr.* ad patibulum. *

Actus Quintus.

Scena Prima.

Edmundus. Pamphilus Cræſillus. Codrodomnus.

Edm. Dixi, vadem me præſto; non eſt hic puer
Ut ſuſpicaris, de genere furum. *Pampb.* Meam
Oppignero fidem pariter, eſt innoxius.
Codr. Niſi fur ſit, eſt furunculus ſaltem. Cui
Hos abſtuliſti calceos? *Cræſ.* Nil abſtuli.
Codro. Et tibialia unde? *Edm.* donavit manus
mihi nota. *Codr.* Teſtimonia veſtra ſpernere
Non audeo, demus igitur, cedat puer
Ex urbe liber, ſed citò. *Edm.* In domo mea
Patiare, lateat. *Pampb.* Vel meâ, ad tempus breve;
Codr. Si clanculum hoc, in gratiam tandem tuam
Pro nocte diſpenſabo. Jam tanta eſt mihi
Authoritas; conſentio. *Pampb.* Grates tuæ

Humani-

* Abducunt Cræſillum.

Humanitati.* *Edm.* Jam elige; an domum meam,
An Pamphili tantiſper, ut lateas, placet
Subire? *Craſ.* adhucne Stychus his in ædibus?
Hunc obſecro ad me, vel me ad illum ducite.
Edm. Quis Stychus ille?

Scena Secunda.

Advenit Stychus.

Craſ. - - - - Styche! Styche! per ſacra
Omnia, domum ſi repetis, ah! tecum accipe,
Et me! *Stych.* Unicus tantùm mihi datus eſt Equus
Tuo à Parente. non capit duos. *Craſ.* Pedes
Comitabor equitem, dumodo in domum Patris
Tecum reverti liceat. *Stychus.* Et quid apud Patrem?
Craſ. Ad genua ſupplex accidam, & dicam: Pater
Peccavi, & omne ſubeo pœnarum genus
Promptiſſimè. unum deprecor, ne filium
Expelle penitus patria excluſum domo.
Stych. Fruſtra es, Parens iratus eſt nimis tibi.
Edm. Sed Domina Mater mitior. Huic ſupplicem
Te ſiſte. *Craſ.* Siſtam. *Stych.* Haud ſuaſerim. Mater Patre
Furioſa magis eſt. *Pamph.* Sed facilius, quàm Pater
Placanda. *Stych.* Video, haud noſcitis Dominam meam;

* Abit Codrodomaus.

Si quando cæpit furere, fugiant á domo
Domeſtici omnes, ni velint vel dentibus
Vel unguibus lacerarier. Frœno jam equum,
Domumque repeto ſolus. Æternum vale
Crœſille.

Scena Tertia.

Crœſillus. Edmundus. Pamphilus.

Edm. - - Nunc verè miſer es. *Pamph.* Ego lacrymas
Vix contineo, dum conſidero, qualis hodie
Mane fuerit Crœſillus, & qualis modo;
Prius Patris ditiſſimi hæres Unicus,
Repente mendicabulum pauperrimum.
Edm. Nunquid modo ſtudere malles, quam domo
Pulſus paterna, ſordida tectus toga,
Panem per Urbem quærere? *Crœſ.* ah deſiſtite
His vocibus, ni *
- - - - Domine Moderator, ſacra
Per omnia Miſerere Crœſilli. Volo
Studere, volo. - - - Non reſpicit me.

Scena Quarta.

Accedit Dromulus.

Drom. - - - - quàm mihi
Poſt tale prandium oppido neceſſarius
Eſt motus aliquis; Venter à tot ferculis
Diſten-

* E feneſtra proſpicientem advertit Moderatorem, qui tamen ocyus ſe recipit clauſa iterum feneſtra

Diſtentus ægrè ſpiritum atque auram trahit.
Pullos duos Gallinæ, eosque quàm optimè
Toſtos voravi. *Edm.* Siccine famulis quoque
Pulli ſolent apponier in ædibus?
Drom. Equidem ante prandium cibus hic hero
fuerat paratus; tamen in ipſo prandio
Heri loco jam famulus abſumpſit. *Crœſ.* Nihil
Invideo Pullos, Dromule, aut epulas tibi
Quaſcunque. Jejunabo per totam diem,
Noctemque promptus. Fac modò, liceat domum
Intrare. *Drom.* Si licentiam hanc dabit tibi
Moderator, ego me neutiquam opponam; atque hero
Quondam meo vel lectulum cedam meum
Ad Dormiendum. *
Crœſ. - - Domine Moderator, ſacra
Per omnia Miſerere Crœſilli; volo
Impoſterum ſtudere ſedulus. Volo
Tibi obſequi promptiſſimè. Ne aures quidem
Dignatur indulgere ſupplici mihi.
Edmunde, tuque Pamphile, accedite ſimul
Et ſupplicate, & nomine meo ſeriò
Spondete; *Edm* quid ſpondere pro te poſſumus?
Crœſ. Spondete cuncta implenda, quæcunque exigit
Moderator, ac me impoſterum *Pamph.* audemus quoque
Spondere, te præterita, quæ docet Alvarus

 Fide-

* Iterum proſpicit è feneſtra Moderator.

Fidelius quam hucusque memoriæ tuæ
Velle imprimere! *Cræſ.* non præterita tantùm, ſed &
Præſentia & futura; totam denique
Syntaxin & Caniſium, & tota in ſchola
Quidquid docetur, ſedulus diſcam omnia.
Pamph. Et quando ſurges lectulo? hora ſeptima?
Cræſ. Jam tertia ſi vultis, antequam canat
Gallus jacentes excitans. *Drom.* Nempe omnia
Spondebis hodie, Craſtina implebis nihil.
Cræſ. Implebo certe, implebo. *Edm.* Sit, tentabimus
Tentare, quidquid poſſumus. *Drom.* At ego parum
Vos præſtituros ſpero. Moderator Patris
Imperia debet exequi; nec liberum
Tutúmque puto negligere mandata Domini
Adeo ſeveri, qualis eſt Parens tuus,
Hoc eſt, olim Parens tuus, Dominus meus.
Cræſ. Omni ergo ſpe deſtituor? *Drom.* Indoleo tibi
O mi olim Here! at juvare non poſſum.

Scena Quinta.

Cræſillus. Dromulus. Pigrillus.

Pigr. - - - - - - Quid eſt
Dromule, ubi tamdiu moratur tuus herus?
Equi parati jam diu exſpectant foris
Ad mœnia urbis, niſi abeamus ocyus
Non poterit abſumpſiſſe quaduplicem

Auro-

Aureum,
Quem domina Mater miſer.. *Craſ.* Inſultas quoque
Seductor! atque cauſa miſeriæ meæ
Primaria? *Pig.* Iſta vile mendicabulùm
Mihi ſtudenti? *Craſ.* non hoc Lurco improbe
Nomen mereris. *Pig.* Melius ac tu. Pallium
Saltem fero humeris, quo Patris juſſu hac die
Exutus eſt Crœſillus. *Craſ.* Et cujus niſi
Culpa tua? cede, apage ſeductor procul.
Pig. Hoc prœmium â te refero? ſic penſas mea
Obſequia? ſic conſilia? *Craſ.* Conſilium tuum
Cur audii unquam? cedito in malam crucem
Seductor, & conſortio æternùm meo
Abeſto. *Pig.* Mendicabuli conſortio
Carere facile potero. Quin ultra loqui
Dedignor. Abeo. Si potes, ſine me vale. *
Craſ. Sine te fuiſſem ſemper, utique jam benè
Imo optimè valerem, at heu! *Drom.* nunquid benè
Moderator, & ego te monuimus ſæpius,
Socium hunc caveres ſemper. *Craſ.* Edmundus redit
Cum Pamphilo.

* Abit.

Scena Sexta.

Crœſillus. Dromulus. Edmundus. Pamphilus.

Craſ. - - Quid fertis ô Chari! ſpei?
Edm. Commotus eſt & intimè noſtra prece
Moderator, & promptiſſime annuit. *Craſ.* Annuit?
Ergo ſubire denuo has ædes licet?
Pamph. Quin plura tibi præſtare moderator cupit,
In priſtino te cernere exoptat ſtatu.
Edm. Ni Patris obſtent litteræ; nam heri ſui
Mandata ad unguem implebit; hæc contra nihil
A ſe ſe agendum jurat. *Craſ.* O breve gaudium!
Quàm ſpe me inani Edmunde lactaſti!

Scena Septima.

Accedit Codrodomnus.

Codro. - - - - - - Puer!
Adhuc vagaris in platea publica?
Ut clanculum lateret in aliqua domo
Ad vota veſtra authoritas tandem mea
Eſt auſa diſpenſare; ſed medio foro
In luce clara ſtare mendicabulum,
Quod non habet Jus civium, nunquam licet.
Purga igitur urbem, aut denuo te ad carceres.

Abdu-

Abduco. *Drom.* Jam ultimum vale, ô mi quondam Here!
Edm. Olim Sodalis noſter æternùm vale!
Pamph. Impoſterum tui ſodales codri erunt.
Crœſ. Valete. Me juvabit hodie adhuc mori.

Scena Octava.

Accedit Beryllus.

Beryll. Te Dromule, moderator actutum vocat. *

Tu vero ** da loquar verbum unicum
Huic parvulo. Crœſille te modo vides
Ab omnibus relictum; etiam ab ipſo Patre,
Et Matre. Si miſertus ego ſolus tui
Tibi providerem, ut ſtudia poſſes proſequi,
Mallésne mendicare, vel ſtudiis dare
Sedulam operam? *Crœſ.* quid quæris? at fruſtranea
Hæc quæſtio eſt; nam quomodo poteris mihi
Tu providere? *Beryll.* Domina Mater ſæpius
Obtulit alendum, ſi velim famulum. Mihi
Operámne vis locare? te famuli loco
Suſcipio. *Crœſ.* Si alibi ſtudia proſequi tua
Berylle ſtatues, cedo me famulum tibi;
Sed hac in urbe civibus notiſſimus
Crœſillus obeat publicè famuli vices?
Qui trahere poſt ſe ſolitus eſt ſervum hactenus,

* Abit Dromulus.
** Ad Codromannum.

Poſthàc ſequatur ſervus alienum pedem?
Pro Dedecus? quid tota diceret ſchola?
Edm. Quid tota dicet, imo jam dicit ſchola?
Dum te videmus vile mendicabulum
Vagari in urbe? *Pamph.* nunquid eſt honeſtius
Eſſe famulum, quam vile mendicabulum?
Edm. Quam tibi Beryllus gratiam offert, accipe.
Cræſ. Berylle noſco gratus animum in me tuum;
Sed famulus ego! Crœſillus alterius Heri
Sequens pedes in mantica geſtet libros?
Idque hac in urbe? Sodalibus coram omnibus?
Edm. Crœſille, dixi & repeto. Præſtabit utique
Eſſe famulum, quàm vile mendicabulum.
Pamph. Cave, reſpuas hanc gratiam oblatam tibi.
Cræſ. Berylle dixi, ſtudia ſi tua proſequi
Decernis alibi. Addico me famulum tibi.
Beryll. Non eſt meum ſeligere, quo loco velim
Vacare ſtudiis. Matris imperium jubet
Hac me manere in urbe. Si famulus meus
Eſſe cupis, hac in urbe ſervias mihi.
Cræſ. Quas conjector in anguſtias! ô quam modò
Vellem ſtudere ſedulo. Sed - - *Codr.* jam cito
Determina, mendicus eris, anne famulus?
Diutius non tolero præſentem. Niſi
Studioſus es, diſcedito ex urbe ocyus.

Cræſ.

Crœſ. Studioſus ut ſim, ſerviam demum. Modò
Non hac in urbe. At patriis terris procul
Ubi nemini Crœſillus unquam cognitus.

Scena ultima.

Accedunt Dromulus & Stychus.

Drom. Quid Domine Crœſille imperas famulo tuo?
En! Dromulus ſtat promptus ad nutus tuos.

Stych. Et Stychus etiam colit Herilem filium.

Crœſ. Quo uſque demum illudere audetis mihi?

Drom. Quin finiendus ludus eſt, quam providè
Parens tuus adornavit. Ecce literas
Quas â Parente Moderator accepit hodie.

Crœſ. An ludit his in literis Parens meus?

Drom. Non ludit. Agit & ſeriò; namque hactenus
Moderator executus eſt, cuncta ad Patris
Mandata ſunt perfecta, jam cætera quoque
Imperia perficienda. *Crœſ.* Num porro ſuper
Eſt pœna gravior? *Drom.* Percipe: Parentes tui
Voluere te non perditum, ſed quod jubet
Vera pietas, amórque, correctum. Hactenus
Semper ſolebas dicere: nihil literis
Te divitem indigere; Mendicabulum

Induere juſſus ſapere melius incipis;
Id quod Parentes unice hoc ludo pio
Voluere tantum efficere: jam luſum ſatis.
Reſume veſtes priſtinas. *Crœſ.* Num ſeriò
Hoc Dromulus? *Drom.* ſi feriò & tu impoſterum
Promiſſa ſerves, literas poſt hac amans.
Crœſ. Quali ex abyſſo revocor! auram liberam
Iterum levatus pondere immani trabo.
Servabo, nemo dubitet, integre omnia
Servabo, quæ promiſeram. *Drom.* Secus cave,
Ne fiat ex comœdia tragœdia.
Edm. Applaudo ſcenæ, denique adeo proſperè
Mutatæ. *Beryll.* Ego famuli loco in te jam novum
Stringo ſodalem. *Pamph.* Gratulor tibi & tuis
Parentibus. *Codrod.* Depono Perſonam meam,
Quam ſuſtinere me hactenus juſſit tuus
Moderator, & reſumo pallium; brevi
Rediturus ad vos. * *Drom.* Congiarium feres.
Præeſſe mendicabulis nunquid hominem
Hunc credidiſti? *Crœſ.* nunquid aliud crederem?
Edm. Studioſus eſt, ſed altioris ordinis,
Et hinc tibi non cognitus. *Beryll.* Pauper quidem

Sed

* Abit.

Digitized by Google